J. A. COMENII

PANSOPHIÆ DIATYPOSIS,

ICHNOGRAPHICA

& Orthographicâ deli-
neatione

*Totius futuri Operis amplitudinem,
dimenſionem, uſus, adum-
brans.*



Amſterodami,

Apud Ludovicum Elzevirium,

M. DC. XLV.

LECTORI BENEVOLO TYPOGRAPHUS S.

POſtquam Diatypoſeos hujus exemplarium raritas apud multos videndi deſiderium accendiſſet, eſſentque qui vel famâ excitati, ejus ſibi fieri copiam efflagitarent; ſtatui, Auctore conſentiente, libellum in gratiam eorum, qui ſtudia hæc amant, recudere, quo propoſiti Panſophici ratio & methodus rectiùs intelligi poſſit, ipſiusque nobiliſſimi argumenti gravitas impellat alios, ut ſtudia ſua & operas huc commodent. Vtere ergo hiſce, Lector, & Auctoris conatibus, quantum in Te eſt, fave.

AGitantibus nobis (non jam ſecretis ſolùm imaginationibus, ſed in aperto) in honorem Magni Dei, communesq́; generis humani uſus, & futuræ vitæ præludium, SAPIENTIÆ TEMPLI *ſtructuram, imitari convenit ſapientum Architectorum ſollertiam; qui nullius majoris operis ædificationem ſine prævia futuri operis* Delineatione *aggredi conſueverunt. Quæ res præter delectationem (animus enim noſter quia naturâ ſuâ in futurum fertur, futuræ rei præviſione oblectatur) inſignem habet uſum ad præveniendam ſumtuum, temporis, exiſtimationiſque jacturam. Quippe erecto futuri operis ſimulacro, aut ideâ, promtum eſt pervidere, num ſibi* Totius *plenitudo,* Partium Symmetria, *ſingulorum decor, ſatis conſtet.* Et *tum, ſi quid deeſſe, ſupereſſe,*

aliter quam expediat eſſe, animadverſum fuerit, integrum eſt addere, demere, mutare, pro neceſſitate, aut lubitu. Poteſt item exactior impenſarum iniri ratio, dum è Sciagraphia tali longitudo, latitudo, altitudo, cum requiſita Materiâ, Formâ, Operariis, Inſtrumentis, Tempore, prævidentur: quibus cum facultatibus ſuis collatis Architector, num tutò aggredi poſſit Opus, judicat. Ne ſc. illi eveniat, quod in parabola monet Chriſtus, ut illudatur, ſi ſint qui dicant: Hic Homo cœpit *ædificare, & non potuit conſummare* (Luc. 14.)

Solent autem futuri Operis formam tripliciter mente concipere, & typo exprimere, Architecti. In plano, *ut Fundamenta jaciuntur*; in fronte, *ut in erectis Parietibus ſpectabitur*; *tandem* pleniſſimè, ut per omnes Dimenſiones, *intus & extra, ſibimet cohærebunt omnia.*

Pri-

Primi generis typum vocant Ichnographiam ; *ſecundi*, Orthographiam; *tertii*, Scenographiam *&* Proplaſma, *Latinè* Modulum *ſeu* Modellum. *Omnia hæc imitari nobis libet Diatypoſi hac noſtrâ: primumque ſola nuda Templi Panſophici fundamenta delineare; oſtendendo, quid Operis ſit, quod optamus; & cur de condendo eo cogitationes jam ſuſcipi neceſſarium ſit? Hoc nobis erit* Ichnographia.

Deinde Requiſita ejus explicabimus, tam ratione Materiæ, quàm Formæ exterioris: quod erectam Templi hujus faciem repræſentabit, Orthographiaque *dicetur.*

Tandem conabimur omnium Partium, earumq́; numerum, ordinem, uſum, præfigurare: quod integrum Templi Panſophici Proplaſma *dabit. Sed obſervabimus in omnibus his canonem illum Architectorum,*

qui Modulum *exquiſitiore artifi-cio carere vult: hoc eſt, non eſſe po-litum, coloribus fucatum, picturis decoratum, ſed nudum & ſimpli-cem: ut eò ſinceriùs de Opere ipſo judicari posſit.*

Tu Deus, qui omnes intelligentiæ vias, omniumq; rerum rationes ſolus inveniſti, ſolus noſti, ſolus cuivis de-tegere potes: miſerere noſtri, & quod in gloriam Tuam molimur, tale eſſe jube, ut futuri ædificatores Tui Sa-pientiæ Templi ſibi dictum putare queant, quod olim dixiſti Moſi Tuo: Inſpice & fac ſecundùm EXEMPLAR monſtratum Tibi. *Exod. 25. 40.*

Tem-

TEMPLI SAPIENTIÆ ICHNOGRAPHIA

Aphoriſmis compre-henſa.

I.

TEMPLUM SAPIENTIÆ vocamus LIBRUM, in quo Homini, ut Creaturæ ad contemplandum Opera Creatoris ſui factæ, contemplanda offeruntur *omnia* quæ uſquam ſunt, erunt, fuerunt; eo fine, eoque ad finem diſpoſitis mediis, ordine, ut omnium illorum ope ducatur, & deducatur, ad eum, Ex quo, Per quem, & In quem ſunt omnia, DEUM, æternamque in ipſo BEATITUDINEM.

II. Hoc namque demum eſt SAPERE, *intelligere & providere noviſſima ſua* (ut loquitur Deus, Deut. 32. 29.): ne aberret Homo à ſcopo ſuo, Beatitudine, ad cujus cum conditore ſuo fruitionem conditus eſt:

quemadmodum illi naturale illud deſiderium indicat, quò ſibi *Bene eſſe*, & quidem *ſine fine*, *omnis Homo*, vult. Mortem enim & interitum horret, Vitam autem quàm maximè jucundam ſibi eſſe appetit, ideóque adverſa quæque refugit.

III. Sed quia atroci in peccatum prolapſu, perque ſecula continuatâ, & ſemper in majus auctâ pravitate, adeò obbrutuerunt mortales, ut nec divinum de ſe creatis conſilium, nec illa naturæ ſuæ deſideria, multò minus ad finem beatum Vias, intelligant, aut etiam intelligere curent; excitandi ſunt è torpore ſuo, modis & rationibus, quæ unquam excogitari poſſunt, omnibus.

IV. Tenemur ſiquidem omnes Divinæ bonitatis eſſe adminiſtri, & quantum quis à Deo accepit luminis, tantundem refundere cupere in alios: quò multiplicatis, & variè in ſe invicem reflexis, refractis, contemperatis radiis, lux augeatur mentibus, ad videndum & inveniendum Patrem luminum, ambulandumque in luce ejus.

V. Deus

V. Deus enim quamquam creatum à ſe Mundum ipſe ſuâ Virtute ſuſtentat, ſuâ luce colluſtrat, ſuâ providentiâ regit: quia tamen quod ordinariè agit, per ordinaria agit media, fit, ut ejus diſpoſitione Creaturæ aliæ per alias formentur, reformentur, foveantur, ad fines ſuos dirigantur.

VI. Teſtimonio eſt univerſus Creaturarum chorus, omniaque Naturæ opera, tam arcto inter ſe ordine compacta, ut nihil omnium à ſe ipſo, propter ſe, per ſe, ſit aut fiat; ſed unumquodque ab alio dependeat, alii ſerviat, ab alio ſuſtentetur. Ideò quippe variis Creaturis varias diſtribuit virtutes, ut unaquæque (eâ parte, quâ eſt id quod eſt, & agit quod agit) Creatoris ſui repræſentans vices, vicinis ſerviat Creaturis, atque per id conſervando ipſi Univerſo.

VII. Quia igitur in genere quoque humano Deus, ad multiplicandum gradatim cognitionis ſui, & operum ſuorum, lumen, alios per alios hucuſque exercuit; nunc autem Ultima Mundi adeſſe videntur tempora, co-

gitandum eſt, quomodo ad ultimum quoque cognitionis gradum (qui quidem in hac Vita ſperari poteſt) nos promoveamus. Nempe *ut ſcientiam noſtram efficiamus* (1) *prorſus VNIVERSALEM*, nullo noxio hiatu deturpatam: (2) *prorſus VERAM*, nullâ falſi & vani mixturâ contaminatam: (3) *prorſus facilem*, nullis obſcuritatum & ambiguitatum ſpinis & ſalebris impeditam, ſed animos ultrò influentem.

VIII. Quæ tria ſi obtinere dabitur, erit humana noſtra Scientia quodammodo perfecta, utpote Omniſcientiæ divinæ pulchrè in nobis reſplendens imago: nos eò diſponens, ut iiſdem viis, per eadem media, ad eoſdem fines contendentes, conſuetas diſcordias, & parergorum quorumvis vanitates, deſueſcamus, ea ſolùm omnes, quæ optima ſunt, ſapere, agere, loqui, gnari.

IX. Ponimus ergò, condendum eſſe *Librum*. qui OMNIA homini ad hanc & futuram vitam, ſcitu & factu, creditu & ſperatu, neceſſaria contineat;

neat: exactam ſcil. enarrationem eorum quæ jam ſcimus, cum accurato ubique indice eorum quæ ignoramus: ſive quòd ea ſcire prorſus non detur, ſive quòd indaganda reſtent. Et quidem omnia illa eo fine, eâque Methodo, ut à primis & imis, per media, ad ultima & ſumma mentes hominum (veluti artificiosâ quâdam ſcalâ) eleventur, ad eum usque, à quo, per quem, & propter quem ſunt omnia.

X. Sed ut omnia illa doceat idem liber VERE, demonſtretque ſolidè, ut non phantaſmatum ludibria, ſed ipſarum rerum immota fundamenta eſſe, prorſus appareat: & nos ſcire nos, non opinari, ſciamus. Nihil itaque Liber hic continebit, quod aſſenſum vel offendat (quemadmodum faciunt apertè falſa, aut vana, aut non probata, aut non probabilia) vel titillet ſolùm, & ad aſſenſum invitet (quemadmodum veriſimilia), ſed cogat: quæ vis invictæ ſemperque victrici Veritati, dummodò ſcitè in apertum producatur, ineſt.

XI. Inſuper concipi Librum hunc neceſſe erit Methodo ingeniis ex-amuſſim attemperatâ, ut quicunque eum leget, intelligat ſimul, per clarum ubique lumen ductus: Quò in linguas etiam Gentium vulgares transfuſus, tam fiat communis uſus, quàm eſt ipſe Deus, Mundus, Senſusque noſter communis: utpote qui nihil ſit aliud, quàm eorum, quæ hactenus unus ille Deus Operibus ſuis, Voce ſuâ, impresſisque animo cujusvis hominis Notionibus, revelavit, verum genuinumque apographum: veraque & communis omnium noſtrûm ad vitam futuram fax & dux: agendorum autem in hac vitâ omnium norma & directorium verum.

XII. Talem hunc Librum PANSOPHIAM dici, *materia, forma, efficiens, finisque* ejus ſuadent.

XIII. *Materia* enim ejus erit τὸ πᾶν, Univerſum quod eſt, & ab homine ſapiente ignorari non debet. Quicquid puta boni, pulchri, utilis, usquam in Libris habetur; aut etiam quæ nondum alicubi exſtant, & haberi tamen poſ-

poſſunt, (nova inventa & invenienda) huc congeri volumus: ut de quacunque re incidat mentio, aut cogitatio, de ea ſufficiens hic exſtet informatio.

XIV. *Forma* Libri hujus debet eſſe *παναρμονία*, hoc eſt, *Vniverſalis Harmonia*, ſive conſonantia & conſenſus omnium ad omnia. Non enim hîc per congeriem erunt coacervandæ de Rebus, quantumvis utiles, hic & ibi traditæ obſervationes; ſed ipſarum rerum intima detegenda natura, eo artificio, ut quemadmodum in Deo rerum authore, Operibusque & Verbis ejus, nihil diſſonantiæ eſt; ita in conceptibus, noſtris, nihil relinquatur diſcrepantiæ: repertis ſcilicet mediis rerum centris, in quibus extrema quoque & oppoſita conveniant, pugnareque deſinant. Quo effici poſſe ſpes eſt, ut, quidquid diverſi homines diversè (modò rationabiliter) cogitant & agunt, ſeſe mutuò aut neſcientes, aut non intelligentes, aut etiam oppugnantes, hîc in conſenſum & harmoniam veniant: reductis omnium cogitationum & actionum rivulis ad ſuos veros & pu-

ros fontes, ubi convenire ſe nolentes volentes agnoſcant, rivulorum ambagibus, & admiſtâ illuvie, foris jam relictis. Fiet enim, ut pleræque contradictiones & controverſiæ decidantur per *Neutrum*, aut *Utrumque*. Eo modo, quo Chriſtus Judæorum & Samaritanorum, de orationis loco altercantium, litem diremit, dicens : *Nec in monte hoc, nec Hieruſalem, ſed ubique in Spiritu & veritate.* Et alibi: *Hoc facite; illud ne omittite* (Matth. 23.13.)

XV. *Efficiens* tantæ plenitudinis & harmoniæ, non alia eſſe poterit, quàm πανκεχία, hoc eſt, *Principiorum cognoſcendi Univerſalitas* : ut nempe quicquid auxiliorum Homini ad augendum & caſtigandum ſcientiæ lumen ſubminiſtratum eſt divinitùs, omne id ex integro adhibeatur. Puta ex parte Dei, nobis ſe extra ſe revelantis, Theatra illa, in quibus expandit quæ voluit; *Mundus* nempe, cum toto Naturæ opificio; & *Animus noſter*, cum omnibus Notionibus inſcriptis; & *Scriptura divina*, cum omnibus ibi retectis myſteriis. A parte autem noſtra, omnia,

omnia nobis ad prehendendum ea, quæ revelavit Deus, conceſſa inſtrumenta: nempe *Senſus externi & interni, & ratiocinandi ſana vis*; & denique *Fides* oraculis divinis adhibenda. Hæc enim omnia ſi omnimodè adhibeantur, facient nos omnia ſcire, quæ ſciri poſſunt. Nam quia ſciri non poſſunt, niſi quæ revelata ſunt, apprehenſa aut Senſu, aut Ratione, aut Fide, aut omnibus illis junctim: qui illa ſcit, quidni omnia ſcire dici poſſit.

XVI. *Finis* Libri erit παγχρηστία: *Vniverſalis ſcil. Vſus, Omnium ad omnia*: ut quicquid Homini agendum aut patiendum eſt, in tempore & æternitate, hîc ſimul diſcatur: formeturque hîc Hominis MENS, ad rerum omnium ſufficientem cognitionem: & MANUS ac reliqua membra, ad operum quorumvis bonorum utilem effectionem: & LINGUA, ad aptum omnium animi ſenſorum eloquium: & AFFECTUS, ad omnium rerum utilium ſtudium, inutilium fugam: & denique COR dirigatur ad Deum, inque illo uno ita ſe fige;

ſigere doceatur, ut tandem homo rèrum peripheriâ exemtus, inveniat ſe in rerum centro, DEO.

XVII. De tali hoc Panſophico LIBRO condendo, ut ſeriò ſuſcipiantur cogitationes, ipſe Divinæ *Providentiæ ordo*, eò nos jam deducit; *Generis humani Neceſſitates* compellunt; *præſentes occaſiones* invitant. Quæ tria explicaſſe, erit Panſophici Templi fundamenta poſuiſſe.

XVIII. DEus, quia ſapiens eſt, ordinatè agit omnia, unumquodque in tempore ſuo; ut ſapiens loquitur Salomon: & quia bonus, benè. Ordinati igitur Boni hic eſt proceſſus, ut creſcat eundo, progrediens à Bono ad Melius, à Minori ad Majus: donec veniatur ad id, quô majus & melius non datur, id eſt, ad Perfectionem. Quem ſapientiæ Dei proceſſum omnia operum ejus exempla teſtantur.

XIX. Ita Mundum, quanquam producere poterat momento uno, voluit tamen adhibere temporis tractum, gradatamq; formarum materiæ ſe imprimentium ſucceſſionem: opera ſua

àb

ab informibus, confuſis, tenebricoſis rudimentis, inchoans; in diſtinctiſſimas verò, perfectiſſimas, pulcherrimaſque formas terminans. Quam legem Naturæ quoque ipſi impreſſit, ut quæcunque naſcuntur, è ſeminibus puſilla & informia naſcantur, paullatimque incrementa ſumant, ad determinatam usque cuique generi perfectionem.

XX. Eidem per omnia conditioni humanum ſubjecit genus. Nam cùm id potuiſſet pleno producere numero (quemadmodum Angelos, & Stellas, quotquot voluit) creavit ſtirpem duntaxat, Virum cum Fœmina: & his multiplicandi generis ſui facultate conceſsâ, progenerationi hominum aliquot millenos annos aſſignavit, donec habitatoribus impleretur univerſa terra.

XXI. Cumque iiſdem hominibus ſimul & ſemel myſteriorum omnium (in Naturalibus, Artificialibus, Morálibus, Divinis) arcana recludere potuiſſet; maluit etiam conſuetâ gradatione uti, & ſenſim Scientiarum, Artium,

tium,Fidei, lumen augere : ut hunc uſq; in diem omnia in progreſſu ſint.

XXII. Totius enim humani generis ætas, eſt quaſi unius Hominis ætas, gradibus ſuis incrementa capiens, & ſe ab infantia per adoleſcentiam, ad adultum mentis robur promovens. Quod Auguſtinus obſervans, ita ſcripſit: *Divinâ providentiâ pulchrè omnia moderante, ita univerſa generationum ſeries ab Adam uſque ad finem ſeculi adminiſtratur, tanquam unius Hominis, à pueritia uſque ad ſenectutem temporis ſui tractum ætatis gradibus terminantis. Et ideò Virtutum etiam gradus in Moribus, donec veniat ad ſummam Hominis perfectamque Virtutem, oportet eum diſtinguere, qui divinis lectionibus piè animum intendit.* (Octoginta trium Quæſt. 53.)

XXIII. Atque ita eſſe, cum humano genere creviſſe omnia, (Scientias & Artes, Virtutes & Vitia, Fidem & perfidiam, hoc eſt, impietatem & errores: Errorumque occaſione novas rurſum illuſtrandæ melius veritati accenſas faces) videt qui aliquid in hiſto-

hiſtoriis, ſacris ac profanis, videt. Omnia enim velut è tenebris in lucem prodiëre, aliud poſt aliud: & fuit unumquodq; in primordiis ſuis rude quid & inpolitum, paulatim diſtinctiores accipiens formas, & perfectionem: & denique omne Inventum tranſibat ad Inventore ſuo ad alios, homines & populos, alios poſt alios, ſucceſſivâ imitatione.

XXIV. Ecquid igitur ſperare vetat, fore aliquandò, ut quæ per partes creverunt, coaleſcant in totum? & quæ paulatim expolita ſunt, tandem aliquando in forma perfectiſſima exſtent? & quæ antea hujus & illius (hominis aut gentis, linguæ & ſectæ) erant, communia generis humani fiant? Certè quod gradus habet, ſupremum ut habeat neceſſe eſt. Atque ſi verè Cicero dixit: *Opinionum commenta delet dies*: (quidnî autem? Veritas certè, temporis filia, ſola ſolida eſt; opinionum fumi quidni diſſipabiles ſint?) Cur non ſperamus fore, ur tot ſeculorum commenta & errata, vel ſeculorum decur-

curſu tandem & innoteſcant, & dele-antur?

XXV. Tale quid autem ſi ſperare licet, quidni & optare & conari? Id enim quid erit niſi adminiſtros eſſe nos divinæ benignitatis, gradatim ſe nobis communicare, ſemperque magis diffundere, ſuetæ?

XXVI. Varias itaque illas luminis, primùm ſcintillas, pòſt faces, quas in genere humano antegreſſorum ſeculorum decurſu accendit, ſemperque in majus auxit luminum Pater; ſi nos jam tandem in unum univerſale Lumen colligere, quàm depuratiſſimum reddere, & in publicum Orbis uſum proferre tentemus, nihil nos facturos credamus, niſi ad quod jam faciendum ipſa nos divina Providentia manu deduxit.

XXVII. Idem tamen nos facere compellunt generis humani *Neceſſitates*: quas explicabo paucis, primùm in genere; deinde per certos hominum Ordines; tandem ad noſtra hæc, in quæ devenimus, tempora reſpectando.

XXVIII. De Rerum humanarum con-

confuſionibus perpetuis, notæ ſunt hominum ſapientum, quovis ævo, querelæ: nemoque eos ignorat, niſi aut hoſpes in Mundo, ut ſunt recens ingreſſi infantes; aut ſtipes & truncus, ut ſtolidi, qui nihil quid fiat attendunt, nedum ut curent. Harum autem confuſionem fons eſt, quòd plerique omnes mortalium (etiam qui ſibi, & mundo, ſapere videntur) omnia ſua, aut certè præcipua, non conſilio & ratione, quas ignorant, ſed temerè agunt. Qùo ſenſu Auguſtinus, *pleroſque homines ſtultos eſſe*, dixit (Lib. 1. de lib. arb. cap. 9.) Et Cicero: *Nihil eſt tam valdè vulgare, quàm nihil ſapere.* Item: *Sæpius Mulam peperiſſe arbitror, quàm ſapientem fuiſſe.* Cùm igitur Sapientia, Rerum moderatrix, Homines deſtituat; quid mirum omnia immoderatè, perque tumultum geri? Resque noſtras non ad fines ſuos ferri ſed extra metas ruere, & nos in varia deturbare præcipitia? Salus igitur generis humani fuerit, detectos rerum Fines veros, & ad fines ducentia Media certa, & Mediorum legitimos Modos,

ratio-

rationes & vias omnes, in omnium conſpectu tam clarè poſuiſſe, ut videndo videre, & Beatitudinis veræ, (quam ſola Sapientia vera & oſtendit, & ejus prægustum dat) dulcedine capti, ardenti ejus amore inardeſcere, queant omnes. Id quod illud ipſum eſt, quod Panſophia per ſuas plenæ *Vniverſalitatis, Veritatis & Facilitatis*, vias quærit, & ſperat.

XXIX. Nam quia multa, & quodammodò infinita ſunt; quæ Homines in hac vitâ pro Objectis habent: tam extra ſe, Res naturales & artificiales, morales & ſpirituales, bonas & malas; quàm intra ſe, inclinationes, deſideria, affectus varios; & deniq; juxta ſe, hominum aliorum opiniones, ſtudia, conatus & actiones, longè diverſiſſimas: fieri non poteſt, quin variè ab his omnibus diſtrahantur & confundantur; ut non quod maximè agendum erat, agant, ſed prout quis fortè huc aut illuc incidit, ita ſe implicari patitur. Unde fit, ut cum *Deus hominem rectum fecerit, illi ſe infinitis immiſceant & quæſtionibus & occupatio-*

tio-

tionibus (Eccleſiaſt. 7. 30.) & juxta Senecæ querelam, *ſequantur pecorum ritu antecedentium gregem, euntes non quò eundum eſt, ſed quô itur.* Cui ataxiæ non aliud remedium datur, quàm ut Omnia, quæ Homini occurrunt & occurrere poſſunt, in ordinem fixum redacta ſint, ſingulorum ponderibus & pretiis evidenter exſtantibus, ut quid prius aut poſterius, magis aut minùs, attendi, amari, ambigi & agi, oporteat, quiſque pro ſe clarè videat, prorſuſque intelligat. Id quod ſine univerſali rerum præcognitione & recognitione non licet. Omnia quippe quæ ſunt, ita divino artificio contexta ſunt, (quod Panſophia clarum faciet) ut unumquodque non tam ſui quàm aliorum cauſa ſit: unde fit, ut omnia ſibi mutuò cohæreant, & miniſtrent, & ſe invicem (non ſolùm ſimilia, & diverſa, ſed & contraria) illuſtrent. Quemadmodum id vel in animalis cujuſque corpore fit evidens, quomodo membra omnia, maxima minima, ſumma ima, prima ultima, ſibi mutuò ſerviant: ut, ſi unum tollas,

totius mutilaveris uſum. Cùm igitur omnia quæ ſunt, in totius Univerſi, tanquam unius Reipublicæ compoſitionem veniant, concatenatione nuſquam interruptâ: ignorato vel uno inſigniter, multorum ſimul veritatem obſcurari neceſſe eſt. Certè quod Seneca de ſcriptis maximorum Virorum dixit: (Ep. 33.) *Tota eſſe inſpicienda, tota tractanda: per lineamenta enim ſui ingenii eos opus nectere, ex quo nihil ſubduci poſſit ſine ruina:* Id longè verius de tota Rerum ac Eruditionis ſtructurâ dicetur, ſine ruina nihil ſubduci poſſe. (Ep. 72.) Quodque idem ille alibi de conſiliis vitæ, conſiliorumque aberrationibus, dixit: *Ideò peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat:* appoſitiſſimè ad Veritatis indagationem quadrat. *Ideò nos errare variè, quia de partibus Veritatis deliberamus; de tota, univerſali, catholicâ, ſeipſam undique connectente Veritate, nemo ſolicitus eſt.* Quod & Franciſcus Sanchez vidit, atque ſic expreſſit (Libro, Quòd nihil ſcitur. pag. 47.) *Talis concatenatio eſt in rebus*

omni-

omnibus, ut nulla otioſa ſit, quin alteri obſit, aut proſit. Quinimò unaquæque pluribus nocere, & plures juvare, nata eſt. Ergò omnia cognoſcere oportet, ad uniuſcujuſque perfectam cognitionem. Et paulò poſt: *Id exemplo familiariſſimo communis Horologii cognoſces. Si enim quomodo horas pulſet, ſcire velis, oportet ut à prima ad ultimam omnes circumſpicias Rotas: quidque primam moveat, & quomodo hæc aliam, & hæc alias, uſque ad ultimam, &c. Idem in Magno Rerum orbe exiſtimandum eſt: in quo nihil invenias, quod non moveat & moveatur, mutet & mutetur, agat & patiatur.* Proinde ſalubri conſilio Panſophia Omnia in univerſum conſideranda ſumit, ut quomodo minora majoribus, & majora maximis, priora poſterioribus, & poſteriora poſtremis; Infinita finitis, & finita Uni: hoc eſt, omnia Viſibilia Homini, temporalia æternitati, creata Creatori, ſubordinata ſint, & ſubordinanda veniant, clariſſimè pateat: nihilque omnium relinquatur, quod non ultimo fini noſtro inſervire cogatur. Hâc

nimirum ratione cognoſcemus ſalutare eſſe Eccleſiaſtici conſilium: *In re magnâ æquè ac parvâ ne unam quidem ignorato.* (cap. 5.18.)

XXX. Non minor autem cura & ſolicitudo, major potiùs, eſſe debet Veritatis, quàm Univerſalitatis. Nam, *Verum ſcire divina eſt ſapientia*; inquit Lactantius: figmentorum uſus nullus eſt, niſi ad ludificandum ingenia, & abducendum homines in avia. Ideò quippe mortalium cogitationes pleræque fumoſæ, lubricæ, curvæ, vanæ, & ad opera inutiles ſunt, quia plerumque veriſimilibus pro veris acquieſcimus, opinionibuſque pro veris acquieſcimus, opinionibuſque diffluentes, ſcientiæ certæ parum habemus. Unde fit, ut neſcire præſtet, quàm malè ſcire: quia minus noxia eſt Ignorantia, quàm Error: æquè ut valetudo neutra tolerabilior, quàm mala; & Mores rudes, quàm ad vafriciem & malitiam politi. Quia igitur quærenda ſunt (nî decipi & evaneſcere volumus) non in ſpeciem vera & bona, ſed ſolida, quæ verè ſapientes, bonos, beatos reddant: ô quàm

quàm optandum eſt, habere certas & infallibiles veri & boni normas! Quamvis enim contractior ſit futura ſcientia noſtra, ſi certa tantùm perſequamur: illud tamen ipſum puſillum, quod exploratæ ſit Veritatis, & infallibilem uſum ferat, pluris erit quàm omnia quantumvis diffuſa opinamenta, inaniaque phantaſiæ oblectamenta. Quia infinito melius eſt aliquid ſcire, quàm infinita opinari. Et melior ægro una potiuncula morbo eum relevans, quàm infiniti ſubtiliſſimi de morbo diſcurſus, aut quæcunque quantocunque apparatu conquiſita & propinata, morbum tamen loco non moventia, remedia. Rectè nimirum Auguſtinus: *Melius eſt qualecunque verum, quàm omne id quod pro arbitrio fingi poteſt.* (Lib. de Ver. Relig. cap. 5.) Cum igitur Errorum cum Veritate miſturam in Philoſophia & Theologia, & alibi paſſim, agnoſcant: & fateantur, & doleant ac deplorent, hominum ſapientiores: Panſophia, quæ ſola irrefragabiliter Vera, colligere, & ad ſecurè poſſidendum apodi-

ſticè quodam modo demonſtrare, quærit, rem utique mortalium generi admodum profuturam quærit. Quid enim obſecro eſt, cur perpetuò incertis, quantumcunque plauſibiliter concinnatis, ludificari velimus? Dogmata ad placitum, ſunt Heliogabali convivia, qui pictis epulis convivas oblectavit, pòſt famelicos dimiſit. Convivium illud eſt optimum, ubi ſalubribus, & boni ſucci eduliis, quamvis paucis, convivæ paſcuntur: Non ubi variis & contrariis palatum irritatur & irretitur. Ibi enim moderatam voluptatem ſequitur bona concoctio, bonus ſomnus, bona digeſtio, bonus faciei color, bona corporis & animi habitudo: hîc crapula, ſomnus gravis, ſomnia delira, vomitus, aut ventris tormina, morbi & mortes. Et quemadmodum effigies hominis, non illa bona eſt, quæ pulchrè picta, ſed quæ vivos vultus, qualeſcunque illi ſint, exactè refert: Tabula item Geographica, non quæ coloribus & picturis ornata (pueros tales afficiunt) ſed quæ veras genuinaſque locorum diſtan-

tias exhibet, commendatur: ita prorſus Liber, nihil ad placitum fingens, aut pingens, omnia eo modo quo Res in ſeipſis ſunt, repræſentans, optimus erit. Qualis ut Panſophia ſit, Veritatis tabulatura perpetua, id ipſum eſt quod quæritur.

XXXI. Verum enim verò *Methodi etiam lumine opus erit*, quâ ſolâ obtineri poſſe ſpes eſt, ut omnia Verè tradita, & jucundè legantur, & facilè intelligantur: eoque Liber hic fiat Ingeniorum ſalutaris illecebra, & ad rerum faſtigia facilius conſcendendum feliciter erecta ſcala; & denique ad diſſidia Mundi potiori ex parte tollendum, efficax remedium. Quæ tria à Panſophica Methodo expſectari poſſe, oſtendendum eſt, ut nos rem humano generi utilem moliri pateat.

XXXII. Prolapſas communibus omnium erroribus res humanas reſtitui poſſe, niſi communi omnium ope, fruſtra eſt ſperare. Nam cùm omnes Mundanæ Reipublicæ membra ſint, non prius poterit ſocietatis humanæ ſtatus mutari in melius, quàm incipi-

ant Omnes nonniſi ratione facere, quicquid faciunt,æquè qui ſubſunt,ut qui præſunt. Non autem incipere poterunt priùs, quàm rationes noſſe docti fuerint, quomodo, & quare,unumquodque fieri neceſſe ſit. Quæ omnia poſtquam ad ipſius Veritatis normas delineata fuerint, ut ab omnibus, etiam cognoſci appetantur, illectamentis quibuſdam opus erit: blandâ ſcil. & ubique utile dulci miſcente, omniaque claræ luci exponente Methodo: quâ Univerſitatis hoc Amphitheatrum nemini Labyrinthus, aut ſpinetum, omnibus deliciarum hortus, videri poſſit. At Panſophia ſibi hoc proponit, totam rerum Univerſitatem ſic expandere omnium oculis, quomodo & unumquodque in ſe ſpeculari ſit volupe, & ad alia ex aliis appetitum extendi neceſſarium.

XXXIII. Eadem artificioſa Methodus præſtare promittit, ut quicunque legere hæc volent, intelligere ſimul valeant. Rem utique optandam nimis. Vulgares quippe Scientiarum vias, ſpinis & ſalebris eſſe obſitas, vulgares quæ-

querelæ, pauciſſimorumque vix tandem difficultates eluctantium exempla, teſtantur. Ita enim pleraque tradunt, ut non tam rerum ſublimitas, vel ſubtilitas, quàm ipſe potius tradendi modus perplexus & obſcurus, ingenia involvat. Panſophia igitur compendia & ſtrategemata quærens, & Dei ope inveniens, quibus omnia proportione quâdam ad mediocrium ingeniorum captum attemperentur, quidnî rem publicè utilem proponere credatur? Expandit enim omnia ipſo rerum ordine, ut ſuo quodque loco ſtet, quemadmodum ex præmiſſis ſequitur, & ſequentia ex ſe gignit: eoque non poſſint non omnia præcedentia ſequentibus ferre lucem, ſequentia præcedentibus addere robur. Quòd ſi à principio ad finem pari diligentiâ, & felicitate pertexatur, non poterunt non omnia ingeniis pariter penetrari. Nulla quippe tam alta turris eſt, nec tam inacceſſa rupes, ad cujus faſtigia quilibet pedibus inſtructus non pertingere queat, ſi ei admoveas fixam ſcalam, aut exſculpas gradus debitos:

cum abſque eo qui tentet, præcipitia citiùs inventurus ſit, quàm apprehenſurus quæ inſcitè captat faſtigia. Ita qui Res aggreditur ſpeculandas ordine nullo, aut pravo, facilè vertiginem patitur, & relabitur: aut in confuſas, præpoſteras, monſtroſas, prolabitur opiniones: qui autem ordine debito, & gradatim incedit, ad ſumma uſque ſe elevare facilè poteſt.

XXXIV. Tandem diſſidia, lites, jurgia, regnare ubique, & Res humanas turbare, notorium eſt. Nec ignotum ſapientioribus, contradictiones iſtas & pugnas venire à diverſis & contrariis ſtudiis, quòd non eadem ſapere, eadem agere, eadem loqui, diſcimus; ſed alia aliis inſuſurramus, aut ſuo quiſque impetu huc illuc ferimur. Si ergò obtineri poſſit, ut Omnes homines, quemadmodum ab Uno Deo ad imaginem ejus facti, ad unum finem, beatæ cum Deo æternitatis, deſtinati; in eandem vitæ præſentis Scholam immiſſi; iiſdem neceſſariorum ſubſidiorum requiſitis inſtructi, aut certè inſtrui apti, ſunt; ita communiter à

com-

communi principio, per communia media, ad communes fines, manuduci patiantur, quidnî plus ſerii circa ſeria ſtudii, minus autem circa minutias ſtrepitum, & per id plus concordiæ, minus diſſidiorum, ſperare ſit? Hoc autem cùm Panſophia optat, quærit, tentat, rem utique generi humano communiter profuturam optat, quærit, tentat.

XXXV. Sed eamus ad ſpeciem, obiterque quid ſpei meliorando ſtatui tam *Vulgi*, quàm *Eruditorum*; & *Politico* ac *Eccleſiaſtico, omnium denique totius orbis gentium*, afferat Panſophia, perſtringamus.

XXXVI. *Vulgus* hominum, quibus ſe rebus occupet, nemo non videt? frivolis & Vanis, aut certè externis, ad vitam hanc fugitivam ſolùm ſeſe extendentibus: ſolidiora bona, interna & æterna, non curant, quia non nôrunt: non nôrunt autem, quia non cognôrunt: ideò ſe tricis & quiſquiliis ſuis oblectant. Nam quid faciat, qui internam Animæ culturam non didicit, dulciores Virtutum fructus non degu-

ſtavit, precioſiores Sapientiæ theſauros non inſpexit, ad Cœli & Terræ arcana nullatenus admiſſus eſt: niſi ut vertendæ terræ, colligendis frugibus, corradendis nummulis, & quæ in proximis ædibus fiunt exquirendo, inſudet? Non enim datum eſt Naturæ humanæ prorſus otioſam eſſe, ac torpere; occupari vult, aut occupat ſeipſam. Qui non agit hoc, aliud agat neceſſe eſt; & qui non ad meliora transfert naturæ impetum, in deteriora prolabitur certò. Salutare igitur fuerit inſtitutum. Vulgus etiam ipſum tandem aliquando in commune ſapientiæ Dei amphitheatrum invitari; eiſque detracto in omnium conſpectu Rebus velo, divinos theſauros, ut in ſe ſunt, & ex rei veritate æſtimandi veniunt, commonſtrari: quò percepto meliorum & veriorum bonorum odore, tranſitorias mundanas illecebras minùs æſtimare, rerumque umbras Rebus poſthabere; & denique illi etiam infimæ conditionis, ad labores & ærumnas damnati homines, calamitoſam ſuam ſortem meliorum ſpe lenire, conſueſcant.

XXXVII.

XXXVII. Quantum ad ſtatum *Eruditorum* attinet, illis Panſophia rectè conſtituta, variè prodeſſe poterit.

XXXVIII. Primùm enim certum eſt, ex iis qui Eruditionis nomine aut ſibi placent, aut ab aliis ſuſpiciuntur, pauciſſimos ſuo, aut rerum, niti fundamento. Sequuntur enim alii aliorum placita: quæ cùm variè ab invicem, & à Rebus, diſcedant, fit ut hæſitationum, contradictionum, pugnarum, nullus ſit in Eccleſia & ſcholâ finis: quibus doctorum ingenia, indoctorum autem conſcientiæ, ſine fine torquentur. Cui malo ſi remedium par quæritur, non aliud eſſe poterit, quàm ut non plumbeam hujus & illius Doctoris, ſed adamantinam Dei & Rerum ipſarum regulam, ſequi, perque id non opinari, ſed ſcire, doceantur omnes. Quod fiet non externam rerum veriſimilitudinem ſectando, aut ei acquieſcendo, ſed ipſam intimam, ſolidam & immotam rerum Veritatem, viis certis ſcrutando, erutamqúe & demonſtratam ſolidè in aperto ponendo; quod Panſophia quærit.

XXXIX. Deinde ſi Artium & Scientiarum ſtudioſos reſpicimus, rectè obſervant nonnulli, *varietatem illam methodorum* (quâ unaquæque Scientia, & Ars, & Lingua, aliter quàm alia, imò eadem illa ab hoc Authore ſic, ab illo ſic, traditur) ingeniis eſſe non remoram ſolùm, ſed crucem & tormentum. Inde enim fit, ut omnes quidem difficulter progrediantur: plerique autem nauſeâ contractâ, & tot novis ſemper obvenientibus crucibus deterriti, à ſtudiorum curſu ad alia vitæ genera reſiliant: aut curſu tam ſalebroſo fatigati, ab alacritate remittant; multa vel intacta relinquentes, vel nonniſi ſuperficie-tenus attingentes. Rara quippe ſunt Herculea ingenia, quibus ab obveniente novo monſtro, & inſtante novâ luctâ, nova redeat in præcordia virtus, novuſque ſurgat vigor! Ideoque tam rari ſolidè Eruditi. Hunc igitur amoveri poſſe obicem, quis non utile ac neceſſarium putet? Rectè enim Baſileenſes (in ſua de compendioſa linguam Hebræam & Chaldæam addiſcendi ratione *Diatribâ*, Anno

no 1637. Mercurio quadrilingui adjunctâ) ſcribunt: *Quantum ſit laboris & tædii compendium, ubique eodem Auctore, iiſdem præceptis, eâdem methodo, uti poſſe, ſatis dici nequit.* Atqui Panſophia nihil aliud erit, quàm tale unâ perpetuâ methodo omnia addiſcendi compendium.

XL. Et quia non deſunt, qui Scientiarum Sapientiæque amore flagrantes, ob negotia tamen & occupationes vitæ, quibus diſtrahuntur, *Bibliothecis* perſcrutandis vacare non poſſunt: iſtis omninò ſummario aliquo Eruditionis viatico, ſed eo valido, opus eſt: cujus vi, ut Elias panis buccellâ, & aquæ hauſtu, Angelico miniſterio refectus, per deſerta proceſſit in montem uſque Dei; ita illi etiam in quovis negotiorum ſtrepitu ſpiritualem vitam conſervare valeant. Revera autem tale eſt id, quod Panſophia molitur: Quo & otioſi utiliter occupari, & occupati celeriter ad principales Fines ac metas promoveri poſſint. Docebit enim attendere & agere priora prius, & potiora potius: cum certo illorum

etiam ad bonos fines uſu, quæ alios ſine uſu occupant.

XLI. Rurſum, qui per vaſta *Authorum* æquora navigant, opus illis eſt, æquè ut in Oceani eremo fluctuantibus, tali aliquo magnetico directorio, quô ſeſe ab erroribus ſyrtibuſq; & ſcopulis, meliùs tutari queant. Ut enim ante inventum Magneticæ acûs uſum per mare navigantes, nonniſi cœlo ſereno, aut in littorum proſpectu, quò ferrentur, & quô prora dirigenda eſſet, ſcire poterant: cœlo nubilo, & in altum provectis, defuit conſilium. Ita qui Authorum ingrediuntur mare, nullis (præter communem communium notitiarum, obnubilabilem tamen ſolem, præconceptarumque doctrinarum littora) inſtructi normis, non poſſunt non paſſim incerti, & eventûs anxii, eſſe. Ejuſmodi igitur univerſale directorium, (quod cui ad manum ſit, nihil ullas profunditates, noctes, caligines, curet, cardinum univerſi certus, portuſque ad quem tendit ſecurus) conſtituere quia Panſophia molitur, (univerſalem ſcil.

& per-

& perpetuam Veritatis harmoniam) quidnî rem doctis communiter utilem ac neceſſariam moliri credatur?

XLII. Si ad *Philoſophos* ſeorſim reſpiciamus (qui rerum omnium, cauſarumque, quibus eæ continentur, ſpeculationi intenti, omnium quæ uſquam rationabiliter fiunt, Magiſtri eſſe debebant) eorum ſtatum inprimis, melioratione indigere deprehendemus. Quicquid enim hactenus Philoſophię habent, & mordicus tenent, Scholæ, id à Græcis & Arabibus (Gentilibus & Mahumetanis) hauſtum eſt: ideóque utut ab admiſtis ſuperſtitionibus liberatum, imperfectum tamen valdè. Cujus rei tria ſunt documenta certa. Primùm quod iſti, Revelatione divinâ (quâ Senſuum & Rationis aberrationes corrigerent) non inſtructi, non poterant in præcipuis quibuſque non cæcutire aut hallucinari. Ignorarunt enim Mundi principium, ignorarunt finem; & neſcierunt humanę Naturę neque conſtitutionem, neque corruptionem, neq; emendationem, & emendationis modum. Ecquid igitur ſani ſive

de

de Natura, ſive de Moribus, tradere poterant? Deinde, fuit Græcanica illa Philoſophia tum, cùm conſtitueretur (nempe Socratis, Platonis, Ariſtotelis tempore) res in mundo nova, experientiis ſufficientibus deſtituta, quidvis obvium arripiens, ab hoc ſic, ab illo aliter; & transferebantur omnia ad profeſſionem & pugnas, quibus implicârunt alii alios, & implicant hucuſque aſſeclas ſuos, à Rebus ad ſeipſos, & conceptus ſuos ingenia traducentes, & veluti compedibus illaqueantes, ut Res liberè ſpeculari nequeant. Denique res ipſa docet, Philoſophiæ illi gentilitiæ defuiſſe, atque deeſſe, veras & vivas radices, quibus vegetata, in ſpatioſiorem ſemper arborem, copioſiores ſemper fructus proferentem, excreviſſet. Ita enim fieri debuiſſe, videmus exemplo Mechanicarum artium, quæ quaſi vitali ſpiritu præditæ, quotidie creſcunt & perficiuntur: ut ſi reviviſcant Inventores primi, diſcipulos fieri neceſſe eſſet, tam rudes fuerunt primi eorum conatus, præ hac ad quam poſteriorum

ſol-

ſollertiâ provectæ ſunt, perfectione. Contrarium autem eſt, quod in Scientiis Philoſophicis videmus, eas in Authoribus primis maximè viguiſſe, deinceps languiſſe; eò ut ſibi moderni vel eminùs veſtigia ſequi, ſatis putent. Quod apertè fatentur, quicunque Authorem Philoſophiæ hujus, Ariſtotelem, tantis evehunt laudibus, ut ei ſapientiæ dictaturam, Imperium, tribunal, deferant, ab ejus veſtigiis nuſquam recedere auſi. Hinc fit, ut ſcientiæ tot ſeculis in priſcorum veſtigiis hæreant immotæ, nec incrementa genere humano digna ſumant: ſtatuarumque more adorentur, non promoveantur. Nam ſi quid interea repertum eſt novi (ut ſunt, Scientia Magnetica, Algebra, Logarithmi, Canones ſinuum, Horologia, Ars libros imprimendi &c.) non certè antiquæ illius Philoſophiæ ductu repertum eſt; ſed aut caſu, aut quod excellentiora ingenia plus ultrà penetrando peculiare aliquid tentare auſa ſunt. Utinam igitur exorari poſſint, qui rerum contemplationi ſe tradunt, ut principiis tan-

tantummodò rectè conſtitutis, in Rebus, non in Libris, aut alienis Conceptibus, latentem rerum Veritatem veſtigare animum inducant; ô quàm multa ſe oſtentat ſpes, fore, ut uberiores ſemper effodiantur Sapientiæ Dei theſauri; qui adhuc latent, latebuntque, ſi homines inventis acquieſcere, & aliorum tantùm cogitatis affixi eſſe, perſeverabunt. Quid enim novi inveniat, obſecro, qui ſe nonniſi in viis, quâ infiniti perpetuò tranſeunt, continet? Quid auri eruat, qui venæ ab aliis jam ad micas uſq; exhauſtę ſeſe mancipat? aut terram metallicam, millies recoctam, denuò, ſpe adhuc eliciendi aliquid, recoquit? Intereſt igitur Philoſophorum, ut relictis illis exhauſtis fodinis, novos ad Naturæ & Artis veſtigandos theſauros aditus ſibi aperiant: quod cùm Panſophia & docet, & bona ex parte cum Deo præſtat, nemo bonus & ſapiens, cui res hominum in melius promovere cordi ſit, invidere, multò minus impedire, animum inducat.

XLIII. Qui inter eruditos *diſquiſitionibus* rerum vacant, & dogmata examí-

aminando *diſputationes* inſtituunt, illis eſſe præſidiis melioribus opus, res ipſa loquitur. Quid enim tantis moliminibus, quantis Libri polemici hactenus ſcribuntur, dignum præſtatur? Diſputant, ut diſputent: lites non terminando, ſed figendo & augendo. Sunt enim conſuetæ illę diſputationes circulationes meræ, opus ſine exitu: quod opinionum & ſectarum noſtro ſeculo ſe collidentium continuatio docet. Oppugnantur omnes, expugnatur nulla: Mirantur alii aliorum obſtinatiam, & cedit tamen nemo. Quę cauſa? Primùm Controverſię moventur citra neceſſitatem ingeniorum ſolo pruritu, & res novandi, aut aliis contradicendi, libidine: quod animos utrinq; diſtrahit, implicat, & intricat. Tum controverſię motę ultra modum exaggerantur, levis quævis diſſenſio in hæreſi eſt: quod animos offendit, abalienat, irritat. Tandem modus ipſe nodos enodandi, quo adhuc utimur, ineſſicax eſt. Nempe utimur ad eliciendum concluſiones noſtras, & proſternendum oppoſitas, prin-

principiis (Canonibus & Regulis, Diſtinctionibus & Limitationibus) undecunq; arreptis, aut etiam à nobis ipſis, ut hypotheſes ſint, & cauſæ noſtræ ſerviant, recens confictis: aut certè alteri parti nondum conceſſis. Qualibus adverſarius impeti cùm ſe videt, aut ridet, aut cōtemnit. Deinde, tam ex his, quàm etiam veris, & adverſario conceſſis principiis, eliciuntur plerumque Concluſiones non Logicâ, ſed Rhetoricâ arte: h.e. non demonſtratione ſolidâ, quâ aſſenſus nolenti volenti extorqueatur, ut apud Mathematicos fit, ſed perſuaſionibus quibuſdam, aſſenſum ſollicitantibus quidem, neceſſariò tamen non elicientibus. Denique finis Diſputationis plerumque reſpondet principio, ut in præjudicium & affectum deſinat: dum diſſentientes condemnantur, illorumque odium aliis inſtillatur, Quod adverſario anſam dat ſimili ſcuto armis ſe obtegendi, & adverſus affectum affectu, odio & pertinaciâ, ſeſe tutandi. His autem malis remedium Panſophia promittit: dum ſola ſolida ſolidè tractari docet:

cet : dum neminem præjudicio onerat, omnes potiùs ex æquo invitat: & poſitis principiis verè univerſalibus, verè veris, verè claris, quæ ab omnibus ultrò & cum lubentia admittantur, ex illis gradatim, ſine hiatu ullo, & intra cancellos perpetuos, mentes ducens, lentè ad ipſa Veritatis faſtigia deducit: non reluctantes, ſed ſpontaneas ac volentes. Atque ita dum animos non aſperat, ſed lenit, & contradicentium etiam ſibi invicem ſenſus (modò veri & rationabilis aliquid habeant) in conſenſum reducendi vias monſtrat; obtinet ut ab iiſdem principiis, per eadem media, ad eaſdem concluſiones omnes delati, tam ultimis quàm primis aſſentiantur: non propter aliquam veriſimilitudinis perſuaſionem, ſed propter ipſam immotæ veritatis claritudinem.

XLIV. *Scholis item ſi bene conſultum volumus*, uti debemus, inſignem quoque conferre operam Panſophia poterit. Nempe quia Iuventutis intereſt, ab ipſo ſtatim vitæ exordio rectis

ſa-

ſaniſque perſuaſionibus,quæ cum illis adoleſcant, imbui: vix ullâ id ratione melius certiuſque obtineri poteſt, quàm ſi ad manum ſit liber Scholis omnibus communis, ſalutaria omnia unâ continuâ methodo proponens: cujus directione nihil uſquam eorum quæ ad utilem animorum culturam pertinent, præteriri, omitti, negligi, ſed omnia ubique agi, conſtare poſſit. Etiamſi enim non omnis juventus omnium capax ſit; Præceptores tamen inde habere poterunt normam, ut quô dirigenda ſint omnia, nec ignorent,nec obliviſcantur. Sed & compendia quædam Panſophiæ, ad primæ pueritiæ captum accommodata, in Scholarum inferiorum uſum, conſtitui facilè poſſunt.

XLV. Conſidera mihi jam Politicum ſtatum, atque huic etiam ad felicitatem ſuam plurimùm inſervire poſſe Panſophiam, videbis. Nota eſt Platonis vox, jam pridem inſtar oraculi habita, *Tum demum beatas fore Reſpublicas, ſi aut Philoſophi eas regant; aut qui regunt, philoſophentur.* Quo

dicto

dicto verius nihil eſt, ſi Philoſophia vera, quæ eſt rerum omnium contemplatio vera, intelligatur. Quia enim ſalutis Reipublicæ (quemadmodum & omnium rerum) fundamentum ac vinculum ordo eſt, cui inter omnes & omnia retinendo gubernatores invigilant: In evidenti eſt, quò melius quis ordinis rationem intelligit, eò melius ordini conſequẽdo pręeſſe poſſe. Optimè autem ordinem rerum intelligit, qui eum univerſaliter, prout rerum omnium anima eſt, intelligit, fundamentaliaque ab acceſſoriis (quorum illa ubique eadem ſunt neceſſariò, hæc variant) diſtinguere novit. Jam autem Panſophia prorſus eò tendit, ut rerum omnium fundamentum & vinculum, *Ordinem*, detegat: bonos ergò Rerumpublic. gubernatores efficere poterit. Sed & qui ſubſunt, ut non coactè, ſed ſpontè, juſtitiæ amore, ſubſint, multùm intereſt. Hoc autem quidnî eadem Panſophia præſtare queat, ſi plebs quoq; ipſa admittatur, ut diſcat & intelligat, omniũ publicam, & cujúſq; privatam ſalutẽ in

eo

eo conſiſtere, ut ſe ſuâ ſtatione tueatur quiſque, ſuaque promtus & alacer obeat, qualiacunque ei obvenerunt, munia.

XLVI. *Si Eccleſiam ſpectes*, hujus quoque incolumitati, ſed & incrementis, non leve momentum afferre poterit, Deo juvante, Panſophia. Nam & Theologos omnes bonum eſt omninò, quàm exactè Verba Dei Operibus Dei ubique concordent, intelligere, quò melius ſalutis myſteria, per myſteria communis providentiæ dilucidare ſciant: & plebem Chriſtianam utile eſt, non imperatam vel extortam phariſaicam, aut implicitam carbonariam, ſed certam & explicitam habere fidem: ut doctoribus ſuis dicere queant, quod Samaritani illi primæ concionatrici ſuæ, *Non jam propter ſermones tuos credimus, ſed quia ipſimet audivimus, & ſcimus.* Id autem fiet, ſi doceantur id, quod credunt, intelligere, ſcireque Fidem noſtram non ſolùm nihil continere abſurdi, (ut ſuſpicantur, aut etiam blaſphemant, infideles) verùm & rem eſſe omnium ratio-

rationabiliſſimam, fultam irrefragabilibus Scripturæ, Mundi, Senſuum omnium internorum, adeóque ipſorum infidelium (paſſim ab illis quoque promicante Veritatis ipſius confeſſione) teſtimoniis. Quod temporis ac lucis progreſſu ad ipſos infideles (Iudæos, Turcas, gentiliumque reliquias) convincendos & convertendos validiſſimus eſſe queat, Dei miſeratione, aries. Quod hactenus ob domeſtica diſſidia noſtra, & non conſtabilitam Veritatis planè docendæ viam, non licuit. Quia enim notio communis eſt, Conſenſum opinionum Veritatis notam videri: diſſenſio Chriſtianorum tam multiplex, non poterat infidelibus non falſitatis ſuſpicionem ingenerare: nec nobis quomodo ſuſpicionem illam excuteremus, in promtu fuit. Qui enim ſine ordine, & ſeipſos inſuper oppugnantes, hoſtem invadunt, victoriam quomodo conſequantur?

XLVII. Sed ſperandum eſt, fore aliquando, ut Eccleſia meliori intra ſe concordiâ uſa, validioribus

etiam ad expugnandam infidelium infidelitatem, inſtruatur armis. Quemadmodum enim Apoſtolus, ſapientiæ divinæ in diſpenſanda revelatione ſui gradationem conſiderans, dixit: Variis ſæpe modis loquutum fuiſſe Deum per Prophetas, ultimò per Filium: ita *Filium* ipſum (*qui quicquid facere videt Patrem, ſimiliter facit, Iohan. 5. 19.*) poſtquam cœlo allatam doctrinæ Veritatem variis modis & gradibus per populos & gentes propagaſſet, ultimum aliquem excellentem gradum ultimis reſervaſſe temporibus, quidnî cogitare licet? Videmus utique jam plures præceſſiſſe modos. Primò enim partæ ſalutis myſteria gentibus prædicari voluit per homines ſimplices & idiotas, ſed quibus linguarum & miraculorum dono fidem fecit divinitùs eſſe miſſos: ut dura hominum corda (ad reſiſtendum Deo propriâ obſtinatione ſemper armata) cedere omninò neceſſum haberent. Elanguente pòſt miraculorum fide, Mundoque ſe adverſus Veritatem obdurante, & contra

Chri-

Chriſtum, & contra ſanctos ejus furente, oppoſuit Chriſtus aliud medium, quô plurium etiam durities expugnata eſt; Martyrum nempe conſtantiam, quorum ſanguis ſemen fuit Eccleſiæ. Quô enim plures Chriſtiani mactabantur, eò plures ſubnaſcebantur: ad patefaciendum Crucis victoriam, quòd ut Chriſtus, ita Chriſtiani moriendo vincerent. Succubuit itaque Mundus, victuſque ceſſit: accedente mox tertio propagandæ Eccleſiæ medio, cùm nempe illi Chriſtus Reges daret nutritios, & Reginas nutrices, quorum exemplo, fidelique curâ, integri populi convertebantur. Sed cùm hoc rurſus in Eccleſiæ venenum vertiſſet veterator, induxiſſetqúe vitæ ſecuritatem, morum diſſolutionem, doctrinæ profanitatem, & errorum mixturam variam; Deus tenebris illis novam linguarum lucem oppoſuit: cujus, & Typographiæ, beneficio, in publicum producti ſunt ſacri Libri, antiquorumque ſcripta, quorum auxilio à ſubingreſſis erroribus & ſuperſtitionibus repurgata eſt pulchrè

veritas. Quia tamen hîc etiam, tum ſeductores in aperta cæcutientes luce obluctantur, tum qui lucem ſequuntur, particulares potiùs ſibi accendunt faces, (& per id alii aliorum, ſuis etiam, officiunt luminibus) quàm ut communi pleno lumine perfruantur: & denique, quia ſuperſunt convertendæ gentes, (prædicabitur enim Euangelum Regni in toto terrarum orbe antequam veniat cōſummatio, Matth. 24. 14.) & reliquiæ Abrahamidum, ad quærendum Jehovam Deum ſuum & Davidem Regem ſuum excitandæ, ultimis diebus (Hoſ. 3. 5.) quidnî tam univerſali negotio, univerſale quoddam medium reſervaſſe credatur univerſorum Dominus? Quô nimirum & ſedentibus in tenebris lumen clarum illuceſcat, & rebellibus lumini rebellandi præcidantur nervi? Ligeturq; Satan, nè ſeducere queat gentes, &c. Atque tale hoc medium aut illud eſt, quod Panſophia oſtendit, aut certè aliquid ei proximum: Quò videlicet omni humanæ menti evidentiſſimum fiat, ſolam unam Chriſtianam Religio-

gio-

gionem, æternâ conſtare harmoniâ, ut undecunque inſpiciatur, tota pulchra ſit, & deſiderabilis.

XLVIII. *Gentium* quoque *& populorum* per diverſa Mundi hemiſphæria & climata disjectorum, linguarumque idiotiſmis veluti repagulis ab invicem ſegregatarum, valde intereſſet communem aliquam inter ſe rerum normam habere: quâ regulati mutuò ſe intelligant, etiam qui non intelligunt. Id enim quid eſſet, niſi quod promittit per Prophetam Deus, *mutaturum ſe labium populorum, ut purum ſit, quò invocent omnes nomen Domini, colentes eum humero uno*, (Soph. 3.9.) Peneque id eſſet labium reddere unum, quô ſe mutuo intelligant omnes: ſi non quantum ad Vocum ſonos, certè quantum ad vocum ſenſus. Quanquam ſi liber hic ad perfectionem ſuam deductus, è lingua quâ primitùs concipitur, Latinâ, totidem paragraphis, & quantum licet verbis in domeſticas gentium linguas transfunderetur: eſſet id barbariſſimis etiam gentibus inſigni adjumento, ad

facilè Linguam Latinam communi iſto in libro parallelè cum ſua decurrentem, addiſcendam. Quâ ratione illa, ut gentium Europæarum eſt, ita gentium totius Mundi fieri poſſet, communis Mercurius. Quô res deducta ſi eſſet, haberetur confuſionis Babylonicæ antidotum univerſale, panaceaque vera, & medium communicandi bona omnia omnibus optimum.

XLIX. Sed jam oſtendendum eſt, quod promiſimus, *quomodo Panſophicum propoſitum in ipſiſſimis etiam præſentis hujus noſtri ſeculi Neceſſitatibus fundetur*: nempe ad obſiſtendum, quantum poſſibile nimium hoc tempore invaleſcentibus monſtris, *Præſumtioni*, *Curioſitati*, *Samaritaniſmo*, *Atheiſmo*, *Furori* denique, in generis humani perniciem ſe magis magiſque indies armanti.

L. Primum enim invaluit apud plurimos nimis *Opinio de ſeculo erudito*, quaſi literarum & ſapientiæ ſtudia ἀκμὴν ſuam ævo noſtro jam attigerint. Quâ opinione inebriati, etiam pauciſſimæ, aut certè ſuperficiariæ, eruditionis

nis mancipia, adeò ſibi placent, ut ſe tantum non Salomones eſſe credant: eruditionemq; veriorem non quærant, quia eam ſe jam poſſidere, nec adeò quò ultra tendant reſtare, ſomniant. Unde eſt, ut in erudito ſeculo verè eruditorum maxima ſit inopia: vulgaribus ſtudiis in garrulitatem quandam ferè & Sophiſticationem, abeuntibus. Commodum itaque fuerit, opinatores iſtos in Univerſariæ Sapientiæ Occanum deduci, illisque per detecta & deſignata Terrarum incognitarum littora, vaſta ignorantiæ humanæ deſerta oſtendi: ut quantò plura ſint quæ ignoramus, præ illis quæ ſcimus, intelligentes, criſtas non attollere, ſed demittere, conſueſcant.

LI. Quòd ſi à Præſumtione hac liberati, ad modeſtiam debitam, ſapientiæque veræ ſtudium ardens, reduci poterunt homines, opus ſimul erit rem, aliter paulò quàm hucuſque inſtitui: nempe ut viis magis certis, magisque compendioſis ad eruditionem veram graſſari valeant, quicunque ejus verè avidi fuerint. Nam quas eate-

nus habuimus, ambagioſæ ſunt, & incertæ, imò periculoſæ. Nempe quia literato hoc,ut dici vult,ſeculo, *Libri*, *Scholæ*, *Methodi*, *Opinionesque* de variis variæ ad ſtuporem uſque multiplicata ſunt, confunduntur diſcentes planiſſimè: metuendumque eſt,ne obruamur omnes, ut tandem vel nihil legamus, vel nihil credamus, niſi luxurianti tam opinionibus concipiendis, quàm Libris multiplicandis, ævo, obex aliquis ponatur: diſcentesque & multa legendi tædio, & à conflictantium opinionum tumultu, & ubique occurrentibus errorum biviis, aut potiùs multiviis, liberentur. Quod fieri aliâ, quàm Panſophicâ ratione, haud quaquam poſſe, agnoſcet & fatebitur, quicunque intentionem ejus veram verè perceperit. Nempe, ut omnia ex fundamento fallere neſcio. h.e. Rerum ipſarum, Teſtimoniorum de Rebus Divinorum, inſcriptarumque Animo noſtro Notitiarum (quibus tribus ut trino palatio ſuo æterna inſidet veritas) deducantur: methodoque tali, quâ facilè, & per claram lucem, animis influant omnia.

LII.

LII. Quod idem ſimul *Curioſitati humanæ*, quâ nonnulli inordinato circa minùs neceſſaria & vetita ſcientiæ deſiderio impotenter ardent, remedio eſſe poterit: per deſignatos induſtriæ humanæ fines legitimos; & repertas imperii ingenio humano in Res conceſſi, metas, limitesque detectos denique & in clara luce poſitos, poſſibilitatis & impoſſibilitatis modos, quantum ſciri poſſunt, omnes; ut qui indecentibus, inutilibus, impoſſibilibus, occupantur, à vano & irrationali impetu, in rationis vias revocari, aliique ſimiliter exorbitandi occaſiones præcavere, doceri poſſint.

LIII. *Invaluerunt etiam nimium diſſenſiones & pugnæ, imò ſectæ, in Philoſophia & Theologia*, quibus implicantur docti pariter & indocti: ut ſe mutuò aut non intelligant, aut intelligere, quamvis poſſint, partium ſtudio negligant. Quæ res variarum confuſionum origo eſt. Nam dum alii aliorum Verba, non intelligimus, fit ut nec Res intelligamus, niſi confusè, & perperam; & dum alii aliis abſurditates im-

pingimus, aliis longè majores ipſimet ſovere aut videmur, aut deprehendimur; nec eſt qui lites efficaciter dirimat, dum non in commune ædificamus, ſed in partes dilapſi, ſua tantùm quiſque communire, aliena cuniculis quibuscunque ſubruere, ſatagit. Quo ipſo ſectæ non minuuntur, ſed figuntur: diſſidia non tolluntur, ſed multiplicantur: odia non ſedantur, ſed acuuntur, ſine fine. O utinam igitur noſtri miſereatur Deus, & à diſperſione hac recolligat nos, *reddatque nobis* (ut per Prophetas promiſit, & antè jam attigi) *cor unum, & viam unam, labiumque electum; ut eadem ſapiamus, eadem loquamur, eadem agamus omnes, ſerviamusque Domino brachio uno*. Id autem ſi quemadmodum optatur, ſperari etiam debet, aliâ vix ullâ viâ præterquam Panſophicâ obtineri poterit. Nempe ſi omnium hominum mentes in apertum Rerum ipſarum campum deducantur, ibique ſepoſitis præjudiciis liberè ſpeculentur, non opiniones de Rebus, ſed Res ipſas: nullo alio quàm Senſu duce, nullâ aliâ quàm

Ra-

Rationis ſanæ luce, nullo alio quàm Deo arbitro & judice. Tum enim quia Res omnibus eædem ſunt, omnibuſque iidem Senſus, eademque de ſimilibus ſimiliter judicans Ratio, tandemque idem eadem de iiſdem atteſtans Deus: cur deſperemus fore, ut idem quoque circa eadem omnium futurus ſit ſenſus, aſſenſus, conſenſus? Atque ubi conſenſerimus de Rebus, Verba nos adeò diſtrahere non poterunt: quippe non ampliùs Verba, neque conceptus noſtri, ſed Res ipſæ (quæ omnibus eædem ſunt) cogitationum & Sermonum noſtrorum, baſis erunt. Provideri que poterit, DEI ope, ut Res, & Rerum intellectus, & intellectûs interpres Sermo, parallelè decurrant per totum Univerſum. Atque tum feliciter ſublata erunt diſſidia, & diſſidiorum occaſiones, nemine in aliud quàm ipſam rerum veritatem intento. Tum ceſſabunt contradictiones, contrarietatis apparentiis ceſſantibus, nihilque ſubterfugiis iſtis erit opus; *Hoc verum eſt Philoſophicè, non Theologicè: loquor Aſtronomicè, non*
 Phy-

Phyſicè,&c: nec ſe aliquis in Philoſophia dicet *Platonicum* vel *Ariſtotelicum*, in Theologia *Lutheranum*, vel *Calvinianum*, vel *Pontificium, omnes autem Philoſophos & Chriſtianos:* quoniam ut Chriſtus omnium communis eſt; ita & Paulus, & Cephas, & Apollo, & Plato, & Ariſtoteles, & quiſquis uſquam veri aut boni quidquam habet, noſtrum commune erit, è communi veritatis Theſauro deſumtum. *Ita Scientias & Artes inter ſe, & Philoſophiam cum Theologia, & diſſidentes opinionibus hominum mentes & linguas ſibi invicem, Rerum ipſarum interventu reconciliari poſſe, quis non videt?* quis ergò etiam non optet? Ferus hoſtis eſt, qui, cùm placidè victoriam conſequi poſſet, cruentam mavult. Feri igitur nos, ſi, cùm pacis & concordiæ via ſe oſtentat, bella ſine fine malumus.

LIV. Aliud jam eſt tetrum & exitiale monſtrum, quod validè hoc ævo, ſi unquam humanum infeſtare genus incipit, Herculeoque labore quantocunque expugnandum venit, impiiſſima

ma profanitas illa, quam *Atheiſmum* vocant. Hæc ſive à Religionum multitudine, ut quidam putant, venit (quod non nemo varia, & contraria credi videns, confundítur, eoque tandem ut nihil niſi Fidem fabulam eſſe credat, adigitur): ſive à peccandi pruritu, ob impunitatis ſpem, ſi vindex negetur, ut Scriptura innuit (Pſal. 14. 1.) ſive ab ingeniorum proterva laſciviâ, irreverenter in omnia, etiam in Deum, irruente, quos tandem opprimit & excæcat ipſe Majeſtatis fulgor, & in reprobum ſenſum agit: certum eſt ævo noſtro inſipientes illos, qui in corde ſuo dicunt, *Non eſt Deus*, non deeſſe, quia occaſiones eo prolabendi non deſunt. Religionum puta confuſio tetra: Flagitiorum diluvium horrendum: Ingeniorum licentia profuſa. Nos itaque, ſi gloria Dei tangit, ſi fidei ac ſpei noſtræ ſecuritas cordi eſt, ſi commiſeratio pereuntium proximorum afficit, de remediis etiam atque etiam cogitare, æquum eſt: idque eò magis, quò ſerpere magis peſtem hanc videmus, præſertim in Politicorum animis, qui-

bus inter arcana ſtatûs ferè eſt, Religione in prætextum, ad captandam & ſibi ſubigendam plebem, uti. *Quale autem Atheiſmo quæramus remedium?* Verbum Dei, quod Virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, nihil hîc poteſt; quia ei non credunt. Miracula, quibus percelli poſſent ut credant, nulla Deus ad Atheiſmum convincendum edere conſuevit: quoniam ordinaria ejus Opera huic rei ſufficiunt, ut Vir magnus inquit: Hæc ergò feriò urgenda ſunt, ad ſtolidorum iſtorum confuſionem. Verum eſt (ut illuſtris Verulamius dicit) *Parum Philoſophiæ naturalis homines in Atheiſmum inclinare: altior ſcientia eos ad Religionem circumagit, cùm connexarum inter ſe rerum catena ad Deum & Providentiam eos deducit.* Debellando itaque illi monſtro, vix ullum efficacius remedium invenietur, quàm Rerum ipſarum, ut Senſu palpari, eoque Rationem ipſam conſtringere poſſunt, plenior, verior, prorſuſque ſeverior & exactior, cognitio: qualem Panſophia & quærit, & ſperat. Inde effici

ficì poſſe ſpes eſt, ut Athei Creaturarum omnium de Creatore teſtimonia audire coacti, ſuum tandem addere cogantur: aut cogantur irretiti & conſtricti ſeipſos negare potiùs, quàm Deum: redacti videlicet ad Scepticorum abſurditates, nullum eſſe rerum Senſum, nullas Res, nullum Mundum, nullos qui hæc diſputent Homines. Quô deducti, aut manus dabunt, aut patebit ſtultos eſſe, qui *dicentes, Non eſt Deus, ſeipſos, Mundum, omnia negent.*

LV. Tandem, opus eſt præſenti huic ſeculo præſentiſſimo aliquo remedio *adverſùs phreneſin, quâ plerique mortalium correpti, in perniciem mutuam furibundi ruunt.* Videmus enim per totum Orbem funeſtas & exitiales diſcordiarum & bellorum graſſari flammas, vaſtantes regna & populos tantà pertinaciâ, ut in mutuum exitium conjuraſſe videantur univerſi, non deſituri niſi cum ſua & Orbis ruinâ. Nihil itaque eſt, quod hoc tempore tam neceſſarium ſit Mundo ad ſe ſiſtendum, né penitus in-

intereat, quàm *Inſtauratio animorum aliqua univerſalis:* ad hanc autem *Pax & concordia itidem univerſalis, in totum veluti humanum genus ſuperfuſa.* Pacem verò & concordiam intelligo, non tam externam illam Principum & populorum inter ſe (quæ res lubrica eſt, & ob leves cauſas mutabilis) quàm internam Animorum, ratione Sententiarum & Opinionum animos occupantium: à qua, ſi obtineri poſſet, meritò ſibi multum quod promittat, habet gens humana. Opiniones enim de rebus proſequendis aut fugiendis, ut mentes occupant, ita affectus cient, turbulentos aut ſedatos: &, ſi eædem fuerint, eadem pariunt ſtudia, vota, conatus, in bonum aut malum, prout fuerint ipſæ. Ad bonos igitur & ſedatos affectos traduci poſſe Hominum mentes aliter, quàm per accenſa pietatis, humanitatis, ſapientiæque ſtudia, fruſtrà ſperemus. Quod ſapiens antiquitas fictâ illâ *de Orphei theatro* narratione, pulchrè expreſſit: ubi ſingulæ Beſtiæ Aveſque congregatæ, appetituum ſuorum innatorum

(præ-

(prædæ,ludi,pugnæ)oblitæ,amicè placidéque unâ ſtetere, Citharæ concentu & ſuavitate captæ. Cujus ſonus quoties ceſſabat, animantes illicò ad ingenium redibant. Quo Apologo docebant, Homines,naturâ lucri,voluptatis,vindictæ,avidiſſimos, quamdiu Religionis & Sapientiæ præceptis aures præbent,tam diu pacem & ſocietatem inter ſe colere: iſta ſi ſileant,in ſeditiones,tumultus & feritatem,prolabi.Sed nec aliud Scriptura Sacra docet, cum impii Saulis turbulentum Spiritum,non aliter quàm *Davidis* citharâ; ſedari pii autem *Eliſai* Zelo commotum ſpiritum, nonniſi ſimili harmonico concentu ad tranquillitatem revocari potuiſſe,memorat. Tumultuanti igitur Mundo, ut ad ſe redeat, quid niſi harmonicâ aliquâ Citharâ opus eſt?Et quia ſeditiones non aliquot ſaltem ſibi viciniores occuparunt regiones,ſed totum corripuerunt orbem, ut omnia Chriſtianorum regna, & quicquid infidelium ſupereſt gentium, adversùs invicem conſurgant,collidaturque Orienti Occidens,

Au-

Auſtroque Septentrio:& quidem cauſis concurrentibus ſacris & profanis, Regionis & Religionis: tam extraordinario malo, extraordinario etiam remedio univerſali,opus eſt: *Reductione* videlicet *animorum in Vniverſalem aliquem concordiam.* Quod aut Panſophia, optabili illâ Panarmoniâ ſuâ, obtinere idonea erit,aut vix aliud ſub cœlo medium.

LVI. Tanta hæc quod nos votis concipere, ſpe præſumere, ore calamoque verſare, manu denique admotâ tentare audeamus, faciunt *occaſiones,quas ſapientiſſima Dei noſtri providentia, ad pulcherrimum aliquod & maximum opus viam communiens,ſubminiſtrat.*

LVII. Harum prima eſt, detectum nuper tam pulchrè *Seculorum & Regionum commercium.* Eò uſque nimirum excolebantur, & incrementa capiebant, Res hominum per partes,in mechanicis & liberalibus: & id quidem ſparſim, per gentes & ſecula, ſibi etiam invicem ignotè. Nunc eò ventum eſt, ut Typographiæ beneficio, omnia

omnia antiquitatis monumenta è tenebris eruta, ingeniis ævi noſtri communicata ſint: & per repertum Navigationis modum commercia omnium Mundi gentium feliciter inchoentur. Unde per excitatam illâ & hâc ratione ingeniorum æmulationem, veſtigandis novis inventis magnopere inſudari cœptum eſt, proximis aliquot annorum luſtris. Sed & illud ipſum ferè privatâ potiùs quorundam induſtriâ, quàm in commune. Ecquid igitur tentare vetat, ſi quomodo totius Mundi obſervata & obſervanda, inventa & invenienda, communia tandem fiant omnibus? Nempe ut omnes in amphitheatrum ſapientiæ Dei admiſſi, & admittendi, quid fiat attendere, ſeque invicem ad plura & majora ſemper obſervanda (nec enim ſapientia Dei in edendis ſuper orbem ſuum ludis ſuis unquam deficiet) alacritate mutuâ ſtimulare, doceantur. Tentandum id eſt bonâ pace rerum noſtrarum præſidis, Dei: cujus gloriæ intereſt, ludorum quos in Theatro ſuo edit ſapientia ejus, quàm plu-

plurimos, & quàm attentiſſimos, adeſſe ſpectatores: nè tanta opera ſine pleno teſte, plenaque admiratione, ſint.

LVIII. Occaſionem quoque Panſophiæ, jam tentandæ, dant *felices Ingeniorum hucuſque circa particularia quæque excolenda, ſucceſſus, idoneæque jam tantæ ſtructuræ concipiendæ materiarum particulatim elaboratarum, ſtrues*. Quid enim non tentârunt hucuſque *Mechanici?* ad quam non perfectionem deduxerunt artes ſuas? Quid inſcrutatum reliquerunt rerum *contemplatores*? cujus non rei veſtigare laborarunt intimas rationes? Id autem quo ſcientiæ humanæ acceſſu, docent ad miraculum excultæ, *Arithmetica, Geometria, Optica, Muſica, Aſtronomia, Chymia: Dialectica* item, recentiorum quorundam ingeniis ad ſummam ἀκρίβειαν deducta, quanquam nondum usûs publici facta. Nec non circa *Divinas literas* ſtudium fervens, priuſque & felix obſtruſa etiam myſteria, & prophetiarum arcanos ſenſus, eruendi conatus: quâ, benignitate Dei, plus eſſe profectum, & profici indies,

quàm antè actis ſeculis, vident & lætantur, qui in lumine Dei vident lumen. Quemadmodum igitur *Salomo* poſt ſucciſa de monte Libano Cedrina, & alia boni ſucci & odoris Ligna, tranſportataque in Judæam; & exaſciata ad uſus varios; & poſt exciſa de lapicidiniis concinnéque elaborata Marmora; & poſt congeſtum ſufficienti copiâ Aurum, & alia precioſiora Metalla, Gemmaſque: ad ipſam Templi ſancti ſtructuram animum appulit, eamque ſeptennii ſpatio feliciter, ope Dei, abſolvit. Ita nobis poſt collectam hucuſque ingentem obſervationum ſenſualium ſylvam: & poſt exſtructam pulchrè Ratiocinationis humanæ officinam; & poſt detectas Auriſodinæ Scripturarum divinarum ditiſſimas venas; quid ſupereſſe putamus, niſi ut Dei ipſius auſpiciis ac ductu, univerſalis ſapientiæ Templo exſtruendo manus admoveantur?

LIX. Tertium, quod occaſionem tanti Operis jam aggrediundi meritò interpretamur, hoc eſt: *Quòd videmus noſtrâ hac tempeſtate nonnullos profe-*

ctuum

ctuum in melius cupidos, occulto quodam bonoque inſtinctu id agere, ut quantumvis diffuſas ſcientias & artes in compendia redigant, ſalebris & ſpinis liberent, additaque artificioſâ methodo quàmplurimis commendent, eoque compendio homines doctiores reddant. Eò enim varios illos variorum noſtri ævi conatus tendere interpretamur: qui *Pandectas*, & *Syntagmata*, & *Corpora*, & *ſummas*, & *Encyclopedias*, & *Panſtratias*, *&c.* Theologiæ, Philoſophiæ, Iuris, Medicinæ; *Theatra* item Sapientiæ humanæ, *Transformationes Scientiarum*, *Inſtaurationes magnas*, *Omniſcientias Chriſtianas*, & ſimilia opera, concinnarunt & orbi cõmunicarunt. Quorum multa in unum, diſperſa in ordinem, obſcura in lumen, redigendi conatus, ſi non diſplicet bonis mentibus, cur diſpliceat noſter, ex omnibus unum quid omnibus etiam illis generalius, & communius, & ad fines univerſales accommodatius, conſtituere ſuadentium? Certè ut in Rebus individua ſpeciem, ſpecies genus, genera generaliſſimum genus, proximè

mè conſtituunt;ita in Conceptibus Intellectûs noſtri ut particularia in ſummas, & ſummæ in ſummarū ſummam, contrahantur, gradatio ipſa requirit.

LX. Tandem *Inſtinctus occulti* cordis noſtri, aliundeq; venientes *ſtimuli, & tot piorum* (poſtquam propoſiti noſtri aliquantulum innotuerunt rationes) *tam deſideria, quàm exhortationes*, non poſſunt non documento eſſe, hâc etiam ratione ſapientiſſimum Numinis conſilium moliri quiddam, ſi nos illi obſequioſa præbuerimus inſtrumenta. Deus enim & Natura cùm nihil faciant fruſtrà; quomodo fruſtra eſſe poſſit, quòd & hæc tantæ rei deſideria indit? & poſſibilitatis dat videre media? & denique mediorum illorum detegit evidentius in dies modos? ut nihil reſtare videatur, niſi ut operi acriter inſtetur, ad felicem uſque effectum. Deus nempe cùm aliquid offert, nos id amplecti vult; cùm præit, nos vult ſequi; cùm præmonſtrat exemplar, nos vult imitando exprimere, & opere ipſo perficere. *Faciēt mihi Sanctuarium* (dixit ad Moſen) *ut habitem*

tem in medio eorum, ſecundùm omnem ſimilitudinem, quam oſtendam tibi. (Exod. 25. 8, 9.

LXI. *Reſpondendum tamen eſt ad quorundam*, propoſiti Panſophici fines ac modos non rectè attendentium *objectata*, ne offundere queant nebulam.

LXII. Dicit nonnemo, *Molimenta hæc multum habere inſolentiæ, temeritatemque ſapere.* Reſp. Rerum humanarum emendationem cogitare, optare, moliri, adeò inſolens non eſt, ut jam inde ab exortu confuſionum noſtrarum Deus, Deique exemplo omnes boni ac ſapientes, idipſum agere ſoliti ſint, prout neceſſitas requirebat, & invitabant occaſiones, aut permittebat res ipſa. Temeritatis igitur quomodo argui poteſt, tantis authoribus quod fit? Et, ſi temerarium non eſt Dei opera ſpectare; ſapientiæ Dei omnia ſuaviter in ſuos fines diſponentis, veſtigia obſervare; denique ad voluntatem Dei omnia ſua diſponere (mandat autem omnia illa Deus, ſecus facientibus ſtuporem exprobrans): teme-

temerarium quoque non erit, alios ad opera Dei ſpectandum invitare; & quomodo omnia ſua non temerè, ſed ratione, agant, docere; utque ſupremi numinis intentionem omnes in omnibus attendentes adminiſtros ei ſe præbeant, hortari & auxiliari. Quibuſcunque modis id fiat, modò ad imitationem Patris cœleſtis fiat (qui quicquid facit, *Hominum causâ facit: & vult omnes homines ſalvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire*; docetque & ducit omnes viis iiſdem, eodem) pium & ſanctum eſt. Atque Panſophia nihil aliud quærit, quàm modum & rationem, quâ omnia in generis humani commoda, & quidem in communes uſus, perque communia media, ſic diſponantur, ut communis omnium ſalus in omnium oculis claræ luci expoſita, omnes ad ſe, & ſalutis authorem Deum, alliciat & rapiat.

LXIII. Dicunt. *Putaſné Eccleſiam mediis ejuſmodi deſtitutam fuiſſe?* Non deſunt beneficio Dei: modò homines velint non deeſſe ſibiipſis. Reſp. Atqui hoc ipſum eſt, quod hîc quæritur, ut

homines efficaciter aliquomodo doceantur, non deeſſe ſibi ipſis. Et quia ſolita illa media obſoleverunt nimis, renovanda ſuademus juxta mandatum Dei. *Novellate vobis novale* (Ier. 4. 3.) Nec tamen novum aliquid fingendo, ſed antiquas bonitatis & ſapientiæ Dei vias, ut homines excuſſo veterno ac ſopore, attendant, nova ſubſidia parando. Scimus enim beneficio Dei, *innovationem optimam eſſe, cùm antiquæ reducuntur viæ*, quemadmodum mandat Deus, Ier. 6. 16. Sic igitur res innovari ſuadentes, ut ad antiquos Dei libros & leges, *Naturæ, Scripturæ, Conſcientiæ*, revocati homines, more antiquiſſimo, qui fuit Dei, *omnes, ad omnia, per omnia*, & illuminentur & emendentur: quid niſi quod jubet Deus facimus? Docemus *homines ſtare ſecundùm vias, & aſpicere, ac interrogare de ſemitis antiquis, quænam ſit via bona, ut ambulantes per eam, requiem inveniant animarum*. (Ier. 6. 16.)

LXIV. Pergunt autem. *Omnia velle ſcire* (quod Panſophia ambit) *curioſitatis primorum parentum, cujus adhuc*

huc luimus pœnas, veſtigium eſt: & inſtillare hominibus omniſcientiæ cujuſdam amorem, ſerpentinum quid eſt. Reſp. 1. Conſuetum & ſollemne eſt Deo, malum in bonum, & pœnam in beneficium, commutare. Linguarum diviſio, pœna fuit ſuperbiæ humanæ inflicta: Spiritus autem Sanctus, cùm ſalutis gratiam inter gentes linguis diviſas diſpertiri vellet, non Linguas ſuſtulit, ſed ſeipſum in Linguas diſtribuit: Divino artificio humanæ confuſionis vinculum, πολυγλωττίαν, in confuſionis remedium adhibens & conſecrans. 2. Deinde, Scientia majoris deſiderium, tum erat temerarium, cùm erat inutile, in ſtatu integritatis: ubi pleno luminis gradu inſtructus Homo, conſortio Creatoris fruebatur, fruique beatitudine ſuâ ſine fine poterat, contrarii ignarus. Nunc autem poſtquam à Deo averſus, Deum lucem ſuam amiſit, & per mentis caliginem infinitis malis involvitur, exſolvendique ſe illis nullam novit rationem: opus omninò habet lumine, in quo & ſeipſum, circumſtantiaque pe-

ricula, & Deum ſuum denuò ſe ei red-
dentem, videre, hoc eſt, miſeriam elu-
ctandi, beatitudinemque recuperandi,
viam noſſe queat. Nam quia contra-
rium nonniſi contrario pellitur, ad-
versùs tenebras nullum eſt remedium,
præter Lumen: nec ergò adverſus
tot Mentis noſtræ confuſiones aliud,
quàm diſtinctiſſima Rerum cognitio,
nè amplius tam facilè imponere no-
bis queat antiquus ille impoſtor Sa-
tan. 3. Ideóque Deus hoc ſtatu noſtro
non amplius vetat, jubet potiùs, *O-
mnia probare, ut quod bonum eſt, cer-
tius inveniri, & facilius retineri que-
at.* Hinc illæ voces Dei: *Pono in con-
ſpectu tuo vitam & bonum, mortem
& malum: Elige vitam ut vivas.* (Deut.
30. 15, 16.) Item: *Cognoſce & vide,
quàm malum & amarum ſit derelin-
quere Iehovam:* (Ier. 2. 19.) & ſimiles.
Quemadmodum igitur Homo tum,
cùm Arbor ſcientiæ boni & mali ve-
tabatur, quia non paruit, peccavit: ita
nunc, cùm iiſdem divinis mandatis o-
mnia probare jubemur, ſi non pare-
mus, peccatum duplicamus, nuperæ
teme-

temeritati contumaciam nunc addentes. Non placuit Deo ſimulata Achazi modeſtia, quòd petere juſſus à Deo ſignum recuſavit, nolle ſe Dominum tentare dictitans: quaſi verò Deum tentare ſit, humiliter & gratè, quæ benignitas ejus offert, admittere. Nobis igitur cùm Deus verioris cujuſdam & univerſalioris Omnium Rerum cognitionis oſtendat, & neceſſitatem, & poſſibilitatem, & occaſiones, ingrati fuerimus, & increpatione digni, niſi gratè admittimus.

LXV. Dicunt. *Nihilominus tamen appellatio* πανσοφίας *præſumtuoſa eſt, humanæ ſcientiæ, quàm latè illa ſe extendat, non conveniens; Deo ſoli relinquenda.* Reſp. De nomine non litigabimus, ubi de re convenerit. Putamus autem nihil ſubeſſe cauſæ, cur aliquis meritò offendatur. Non enim ideò tribuimus aliquid homini, ut detrahamus Deo: ſed ut gloria Dei eò magis ſplendeat in homine, imagine ſuâ. Et, ſi vox *ſapientiæ*, & *ſapientis*, bonâ iſtorum pace homini tribuitur, cùm tamen expreſsè Scriptura *ſolum Deum*

ſapientem dicat (1.Tim.1.17. Eccl.1. 7.) cur adjectio notæ Univerſalitatis adeò offendat? Quippe hanc opponendi non leviores ſunt nobis cauſæ, quàm fuerunt *Pythagoræ*, cum vocem σοφίας in φιλ·οσοφίαν commutaret. Tradunt autem ipſum duo reſpectaſſe: Deum, cui glorioſum illum, ſoli relinqui volebat titulum, ut σοφὸς dicatur. Deinde Sophiſtas & Nugatores, qui per vocis abuſum Sapientibus ſe annumerabant. Ille igitur homines à ſapientiæ opinione ad ſapientiæ ſtudia revocare cupiens, notam ſtudii adjecit φιλό·σοφος. Nobis verò cur aliam notam, *Universalitatis* (nempe illam πᾶν) præponendam putamus, aliæ ſunt, ſed ſimiles cauſæ: *Neglectus ſapientiæ, & vocis φιλοσοφίας, θεοσοφίας, aliarumque vulgò receptarum, abuſus.* Primò inquam, quia torpent plerique mortalium, ut ſecurè nimis Deo ſapientiæ titulum cum reipsâ relinquentes, ipſimet bruteſcant, ſuaque omnia temerè, inſulsè, ſtolidè, agant: & qui ſapere volunt, aut fruſtillatim ſapere quærunt, circa objecta quædam particularia, totius ſapi-

entiæ complexûs ignari & ſocordes: aut ſapere quærunt ſine Deo, quippe nec ad Deum collimantes, nec ad ejus normas, ſe & ſua conformantes. Revocandi igitur ſunt ad Panſophi Dei (ſine quo ut eſſentia nulla; ita intellectus nullus, Sapientiaque nulla eſt, nihilque verum aut cohærens) leges & normas, ut omnes omnia, inprimis autem divina, ſapere gnari, revera Deo ſimiles, quantum poſſibile eſt, reddantur. Repertus igitur Scientiæ modus, quo OMNES *circa* OMNIA, *omninò* (πάντες, πάντα, πάντως) ſapere doceantur, quidnî πανσοφία quædam humana dici mereatur? Ad imitationem receptarum jam antè vocum, quibus plenior rei cujuſpiam apparatus adjectione illâ (πᾶν) exprimitur: ut in πανοπλία, πανστρατιά, πανακεία, πάνδεκται, πάνθειον, &c. videre eſt. Accedit nominis φιλοσοφίας contra θεοσοφίαν, ſeu θεολογίαν, & vice verſâ, abuſus: quæ ita vulgò diſcriminant, quaſi neutri cum altera quidquam eſſet negotii, manifeſta cum Veritatis injuria. Ubi igitur iſta conjunguntur, docen-

turque homines (ut Auguſtinus loquitur) *& in ſacris philoſophari, & in Philoſophia conſecrari*, jure meritò nomen mutatur, ut non rei deſit ſuus idoneus index. Tandem tamen, ſi omninò *Panſophias* appellatio Eccleſiæ diſplicebit, mutetur in aliud, vel contrarium, ut pro *Omniſcientia, Nulliſcientiam*, dicamus. Nam & eò tandem veniri neceſſe eſt, ſi Panſophiam veram (quæ contraria etiam in identitatem reducat) conſtituerimus, ut quò plus homo videat, eò plures defectus animadvertat, ſuos & alienos, ſapientiſſimo teſte, Eccl. 1. 15.

LXVI. Objiciunt etiam, *Nos Panſophiam ad Deum ſcalam quandam appellando, opus convertendi homines, quod ſolus Dei eſt, in artem transformare?* Reſpondetur, Quaſi verò abſurdum ſit, aut internæ Spiritûs S. operationi externa adjungere adminicula, aut in his diſpenſandis prudentiâ quâdam & arte uti: cùm potiùs abſurdus ſit, qui id neget. *Deus enim ordinariè per media agit*: in quibus mediis tum homines ipſi ſunt (quos Deus ut

admi-

adminiſtros, ſeu *Cooperatores* habet, 1. Cor. 3. 9.) tum induſtria humana, quam methodi ars dirigit. Hinc cùm Deus pulchram Eccleſiæ reformationem promittit, promittit *Paſtores, qui populum paſcant ſcienter ac intelligenter* (Ier. 3. 15.) *& Doctores cum lingua eruditâ, ſcientes tempeſtivè loqui verbum* (Ieſ. 50. 4.) & oſtendit Prophetarum, Apoſtolorum, Chriſti ipſius, praxis, non ſine ſtrategematis certis eos adoriri ſolitos homines, quos excitare, cõmovere, convertere aut convincere, volebant: ut non ſolâ diligentiâ & labore, ſed ſimul prudentiâ & arte quädam, conſtare opus hoc, palàm ſit. Omnia igitur illa, in unum collecta, & Methodi beneficio ad expeditum uſum accommodata, ſi ſubſervire faciamus Deo; quid, niſi quod in ſe pium juſtumque eſt, facimus?

LXVII. Dicunt: *Satis jam Librorum eſt, & quid proficitur? Mundus manet, manebitque Mundus.* Reſp. Nunquam deſperare, nunquam non meliora ſperare, nunquam non occaſiones & auxilia ſubminiſtrare, doceat

nos patientia & benignitas Dei, ſemper ſe ipſam renovans, & modis aliis atque aliis, illuſtrius ſemper, ſeipſam detegens, adeóque ultimis temporibus Scientiæ multiplicationem, ſub ipſamque Mundi veſperam lucem, promittens (Dan. 12, 4. Zach. 14. 7.) Hanc ergò promotam, quantum per nos etiam volet Deus, quæramus, reformando non libros ſolùm, ſed homines, ad ſollertem librorum uſum. Quod Panſophia faciet, non ſolùm alia omnia, ſed & ſui univerſalem uſum, docens.

LXVIII. *Quomodo autem idem liber diverſis ſerviat? cùm diverſos diverſa juvent*, aliaque conveniant doctis, alia indoctis; alia fidelibus, alia infidelibus. Reſp. *Chymici* quintam ſuam eſſentiam ex eo laudant, quòd tam exquiſitæ ſit temperaturæ, ut omnibus adhibita id conferat ſingulis, quod unicuique opus eſt: Calidis refrigerium, frigidis calorem; ſiccis humiditatem, humidis ſiccitatem: ideoque ſit omni morbo præſens remedium. Simile quid de hoc *Libro* rectè adornato

nato pronunciare licebit, (ut qui *Librorum quinta quædam eſſentia* erit) profuturum eum omnibus, redeunte ad unumquemque ſuo fructu. Propter enim decentem ſimplicitatis cum ſublimitate, veritatiſque cum ἀκριβείᾳ, temperaturam, fiet, ut Methodi ſimplicitate ſimplicibus ſe commendet, Rerum verò ſublimitate doctos paſcat: quamque nihil rationabilius ſit Fide verâ clarè demonſtrando, fidelibus delicias faciat, infideles verò ad fidem diſponat, aut, ut inexcuſabiles ſint, præſtet.

LXIX. Hîc autem nonnemo objicit. *Qui in rebus Fidei ad Rationem provocant, hæretici ſunt. Panſophia igitur æquè id attentans, meritò ſuſpecta eſt.* Reſp. Ergò & *Iuſtinus Martyr, Athenagoras, Lactantius, Lud. Vives, Mornæus, Grotius,* & qui præterea pro Fide contra infideles rationibus pugnarunt? Poſſunt enim diverſi facere idem, ut non ſit idem, ſi diverſo fine & modo faciant: qualiter hîc fit. Hæreticus divinis teſtimoniis adhibet Rationem, ut judicem: Panſophus ut te-

ſtem. Ille Rationem jubet præire & præſignare ſemitas, per quas divinam Revelationem raptet: hic præire vult Deum, Rationem vult ſequi. Ideoque Hæreticus per Rationem Fidei dogmata vertit, Panſophus ſtabilit. Ille committit Creaturam Creatori: hic ſubordinat. Ille docet Rationem Fidei obloqui: hic Rationem facit pro Fide loqui; ut qui Dei teſtimonia non admittunt (*Athei & infideles*), aut pravis ſuis rationibus corrumpunt (*Hæretici, Sophiſtæ, Scioli*) vi rationis propriæ conſtringantur, eóque deducantur, ut pro Deo & veritate ejus ipſimet contra ſemetipſos ſtare, hoc eſt, Dei Verbo acquieſcere, non obniti, cogantur. In ſumma, *dignus eſt Deus noſter, cujus ori atteſtentur, & atteſtari cogantur, omnium hominum ora & corda.* Quod Panſophia quærit.

LXX. *Sperasné igitur* (inquiunt) *nullas fore contradictiones? Atqui hæreſes ſemper erunt.* Reſp. *Credo, impios ſemper fore lumini rebelles*, dum Mundus erit. (Iob. 24. 13.) An tamen ideò lucernas accendere negligemus, quòd cæcis

cæcis eæ inutiles ſint? Aut earundem flammas emungendo depurare, quòd aliquis tenebrio caligine magis gaudeat? Scimus hæreſes eſſe oportere, nec defuturas unquam, quæ Satanæ inquietudo & aſtutia eſt. An tamen ideò tollere eas, quoties Deus occaſiones ſubminiſtrat, non curabimus? Filiorum lucis eſt oppugnare, quâ datur, tenebrarum regnum: accenſaque lumina in Eccleſiæ Domo candelabris inferre, ut luceant omnibus qui in domo ſunt, eventu commiſſo Deo. Opprimere igitur convenit quaſcunque eluctari poſſumus tenebras, lucis virtute: tametſi tenebrarum princeps occaſionibus ſuis nunquam defuturus ſit, ad offundendam novo etiam lumini caliginem. Nam & illud ipſum lux Mundi, Chriſtus, in occaſionem novi rurſum luminis detegendi vertet: quippe cui ſollemne eſt omnes hoſtium conatus, ipſos etiam furores, in occaſionem manifeſtandæ gloriæ ſuæ transferre (Pſal. 16. 10.) Quò magis tenebras offundet Satan, eò magis pateſcet divinæ lucis ſplendor, menda-

ciumque ipſum Veritatis oſtendet robur, id ſecurè ſperemus.

LXXI. Sunt tandem, qui tenuitatem noſtram nobis objiciunt: *Quantilli eſtis vos, qui hæc tanta movere audetis?* Reſp. Non id ſpectandum eſt, quantilli nos qui hæc monemus, ſed quantus ille cujus nomine monemus; & illa, quæ monemus; & illi, quorum in gratiam monemus. Cujus nomine hortari mortales, ut ſuis confuſionibus univerſale quærant remedium, audemus, *Deus eſt, Dominus omnium confirmare ſuper omnes miſericordiam ſuam, & Veritatem ſuam ſtabilire in æternum, paratus*: & cui integrum eſt etiam *Aſinæ* os adaperire; aut lapides, ut clament, ſi alii taceant, excitare: & ſollemne, contemtibilibus uti mediis, ut gloria ſua ſit, non eorum qui inſtrumentum ſe eſſe in manu Dei obliviſcuntur, ſi per ſe etiam conſiderati aliquid videantur. Res ipſa, quam promotam vellemus, eſt *gloria Dei*, per omnes & omnia quàm maximè hîc ſub cœlo fieri poteſt, illuſtranda: ut à ſolis ortu uſque in occaſum, ex hoc nunc

uſque

uſque in ſeculum, laudabile ſit nomen Domini, & majeſtate ejus repleatur tota terra. Quorum in gratiam hæc agimus, ſunt illi, quorum minima pars nos ipſi ſumus, pars tamen, *Homines univerſi*; quorum ſalutem ſitire nos æquè ut noſtram, juſſit is, qui ex uno ſanguine produxit omnes, uno ſanguine redemit omnes, ad eandem vitæ futuræ communionem invitat omnes, nolens perire quenquam, ſed ad reſipiſcentiam venire omnes. Qui ergò hæc contemnit, non nos contemnit, ſed Deum, ſed Dei majeſtatem, ſed univerſam humanam gentem, quorum promovere gloriam, & ſalutem, quantum in ſe eſt, aut ſpernit, aut negligit, aut etiam alios id conantes remoratur. Quantum ad nos, exilitas noſtra rebus per ſe tam optandis incommodare nihil poterit: cùm ad *dandam rei bonæ occaſionem etiam ſtultus ſufficiat.* Quales ſi nos; Vos ſapientes exſerite Vires Veſtras, ut quicquid in tantis deſideriis deſiderari animadvertitis, ſuppleatur.

LXXII. Nos cum Davide orantes; *Emit-*

Emitte Domine LVCEM Tuam, & VERITATEM Tuam! ut nos ducant, & reducant, in MONTEM SANCTVM Tuum, in habitacula Tua. (Pſal.43.3.) ex his ipſis Verbis Panſophiæ tria eſſentialia requiſita iterum iterumque ingeminamus. Nempe ut obſervetur,

1. *Methodi LVMEN*, quô ſine obſcuritatibus & ſalebris ullis inoffensè per omnia ducantur omnium mentes.

2. *Doctrinæ VERITAS*, ut caveamus, ne ſe vani quidquam admiſceat, nec in toto, nec in parte ullâ.

3. *Subordinatio omnium Vltimo fini*, qui eſt cohabitatio DEI in MONTE ſancto ſuo.

Pſal. 90. 17.

Adſit amœnitas Iehovæ Dei noſtri nobis: & opus manuum noſtrarum ipſe dirigat.

TEM-

Templi Pansophici Delineatio

ORTHOGRAPHICA,

Structuræ ejus faciem externam, cum Partium numero, ordine, ſitu, & uſu, ſpectanda exhibens.

Syr. 37. v. 20.

Principium omnis operis eſt Oratio, & conſilium anteit omnem actionem.

J. A. L. LECTORI S.

HVmaniſsime Lector, cùm in Hiſtoria ſacra hæc lego; Dedit David Salomoni deſcriptionem Porticûs, & Templi, & Cellarum, & Cœnaculi, & Cubiculorum in adytis, & Domûs propitiationis, nec non omnium quæ cogitaverat Atriorum & Exedrarum per circuitum, in Theſauros Domûs Domini, & in univerſa Vaſa miniſterii: Hæc omnia (*inquiens*) venerunt ſcripta manu Domini ad me; ut intelligam univerſa opera EXEMPLARIS (1. *Chron*. 28. 11. 12, 13. & 19.) *ſeptem iſta inde obſervo*.

1\. Primò, *Conſultationes de Rebus, rebus eſſe præmittendas omninò.*

2\. Secundò, *Nec eas extemporales ſolùm,*

lùm, ſed facta ipſa longè antecedentes: quemadmodum Templi Hieroſolymitani ædificationem (quanquam opus totum materiale fuit) David aliquot & viginti antè annos conſiliis agitabat; Salomon verò filius & ſucceſſor ejus, quanquam apparatu omni, & ſapientiâ inuſitatâ, inſtructiſsimus, nonniſi quarto demum Regni ſui anno aggreſſus eſt: ut anni circiter triginta deliberationibus & neceſſariorum conquiſitione tranſfluxerint. Tertiò, *Conſultationes* 3.
de Rebus gravioribus non debere eſſe ſuperficiarias, ſed ad intima uſque, & minima, Operum momenta penetrantes. Quartò, *o-* 4.
mnia illa non præcogitari ſolùm poſſe, ſed deſcribi etiam ac delineari: quò meliùs intelligantur univerſa opera Exemplaris; *ut loquitur David.* Quintò, *Ideas* 5.
rerum

rerum eas eſſe optimas, quæ à DEO *ipſo veniunt. Ecce enim Salomoni, quanquam mortalium ſapientiſſimo, non permittitur Templi formam arbitrio fingere! ſed ad imitandum exemplar divinitùs oſ-*
6. *tenſum adſtringitur.* Sextò, *pro Exemplaribus divinis habenda eſſe illa ſolùm, quæ* manu Domini ſcripta ſunt: *quorum ſcil. formam ille delineavit Verbo ſuo, aut inſculpſit Creaturis ſuis.* Tandem,
7. Septimò, *talia Operum Exemplaria non eſſe in occulto premenda, ſed oſtendenda, & in manus tradenda iis, quorum intereſt ea intelligere & imitari.*

Quæ loco hoc præfari volui: Primò, *ad præmuniendum delineatiunculas noſtras præſentes, adverſus illorum judicia, qui ſatius putant faciendum eſſe aliquid, quàm diſputandum quomodo fa-*

cien-

ciendum ſit. Secundò, *ad emolliendum illorum impatientiam, qui* Opus *tam diu differri, deliberationibusque tempus trahi, ægrè ferunt.* Tertiò, *ad occurrẽdum rigidiori eorum cenſuræ, qui ſuperſtitioſum putant de* Libri *alicujus formâ non ſolùm tàm diu, ſed tam anxiè, diſquiri.* Quartò, *ut pateat, non ſolùm cogitare licere, ſed & cogitationes delineare: donec exactè intelligamus univerſa opera exemplaris noſtri.* Quintò, *quia non deeſſe ſcio, qui* Libros *putant ſcribendos, aut nullâ, aut quâcunque methodo, uti ſe offert:* Ego *me fateor talem quærere* Methodum, *qualem à manu* Dei *venire credere poſſim.* Et *pro tali habere me* (Sextò) *eas* Methodos, *quæ opera* Dei *referunt: ſive quæ fecit ipſa manus* Dei, *ſive quæ manibus humanis efficienda permiſit, ordinem tamen illis prædelineavit, ipſum os* Dei. (*Prio-*

rum

rum in cenſu eſt ipſa Mundi machina: *& quodvis naturale corpus, Plantæ, Animalis, &c: in poſteriori delineatio* Tabernaculi *& poſtea* Templi, *Salomonici &* Ezechiliani: *ad quæ nos in veſtigando methodum veram ſubindè reſpicere, patebit.*) Tandem, *ne quis hoc etiam factum meum, quòd talia in publicum exponam, ſiniſtrè interpretetur, tueri me Davidis exemplum poterit, qui Templi futuri delineationem Salomoni tradebat coram univerſo populo. Quòd ego imitor duplici de cauſa.* Primò, *quia æquè ut* David *moriturum me ſcio; & forſan priùs, quàm videre dabitur totum quod opto. Videant ergò alii, & à me habeant, ideam ſaltem votorum meorum pleniorem, quàm adhuc.* Secundò, *quia non æquè ut* David *certò ſcio, Delineationem hanc ad exemplar divinum exactè factam,*

ideó-

ideóque jam immutabilem, eſſe. Videant ergò eam & judicent, qui videre & judicare poſſunt, & nos adhuc, antequam Opus aggredimur (ſi vivere & progredi juſſerit Deus) moneant. Spiritus enim Prophetarum ſubjecti ſunt Prophetis.

In ſumma, conſultandi hæc mora incommodare nihil poterit Operi noſtro, poterit melius ematurando conferre nonnihil: juxta illud Ovidii.

Nam mora dat vires: teneras mora percoquit uvas,
Et validas ſegetes, quod fuit Herba, facit.
Quæ præbet latas Arbor ſpatiantibus umbras,
Quô poſita eſt primùm tempore Virga fuit.
Tunc poterat manibus ſummâ tellure revelli:
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Hinc illud ejusdem conſilium:

Differ: habent parvæ commoda magna Moræ.

Hinc

Hinc & illud Herodoti:(lib.7.) Omnis res properando parit errores, unde magna detrimenta fieri aſſolent. In cunctando autem bona inſunt: ſi non talia quæ ſtatim videntur eſſe bona, certè quæ ſuo tempore bona fuiſſe appareat. *Vnde & Alciati elegans emblema:*

CUNCTANDO PROFICIO.

Hæc quàm vera ſint, meliùs intelliges, ſpero, Lector, ſi noſtra hæc procharagmata, quibus adhuc immoramur, perlegere dignatus fueris. V.

I.

Quibus verbis ſapientiſſimus Salomo ſuum, quod de Vanitatibus Mundi conſcripſit opus, claudit, iiſdem nobis delineationem Operis, quod Vanitatum Mundanarum antidotum eſſe optamus, ordiri placet: *Faciendi Libros multos nullus eſt finis, & lectio multorum fatigatio eſt carnis. Summa rei eſt: Deum time, & mandata ejus obſerva: quia* HOC EST TOTVM HOMINIS. *Nam omne opus Deus adducet in judicium, cum omni re occultâ; ſive bonum ſit, ſive malum.* (Eccl. 12. v. 14, 15, 16.)

II. Ubi quia pruritum Libros multos cùm ſcribendi (quod rem eſſe infiniti laboris dicit) tum legendi (quod fatigationem carnis vocat) inter mortalium vanitates refert, conſiliumque dat, ſummum totius Vitæ ſcopum ita obſervandi, ut ante omnia & poſt omnia, quærantur & agantur ea, per quæ in Dei timorem provehamur, & ad illa quæ nos poſt exactam vitam

E hanc

hanc exſpectant, ritè præparemur: *nos* conſilium hoc ſequuti, vota noſtra iterum iterumque ingeminamus: communi omnium ope, qui confuſionibus humanis ferre poſſunt opem, *condendum eſſe Librum, quem conficere non ſit infiniti laboris, ſed infiniti uſûs; & legere non ſit fatigatio carnis, ſed recreatio ſpiritûs, & qui non hoc aut illud carptim, ſed TOTUM HOMINIS oſtendat*, eumque tranſitoriam hanc vitam ita tranſigere doceat, ut benè geſtæ rei teſtimonia ſecum ad judicium illud tremendum afferre poſſit.

III. Cupimus inquam librum condi, qui unus inſtar ſit omnium, veriſſimum totius divinæ & humanæ ſapientiæ repertorium. In quo proponantur omnia *Facilè*, ut non poſſit facilius; & *Breviter*, ut non poſſit brevius; & tamen *Sufficienter*, ut non poſſit ſufficientius. Per omnia ſcilicet quæ ſunt, & ſciri poſſunt, ad illum Ex quo, Per quem, & Propter quem, ſunt omnia, & qui ſapientiæ noſtræ & principium eſt, & finis, omnium traducendo mentes: ut quod præterea hîc ſub cœ-

lo

lo diſcatur, non reſtet. Certè enim Plato ipſe *Sapientis Vitam ad Deum eſſe reditum* ſcripſit. Quantò ergò magis nos Chriſtianos anniti decet, ut ſapere noſtrum nihil aliud ſit, quàm per omnia, & ope omnium, attolli, trahi, rapi, in Deum!

IV. Quo fine ſi nos ſacram noſtram aggredimur Philoſophiam, fiet ſimul, ut inferiora omnia, per quæ ut erectam ſcalam ad ſublimem illum, æternitatem ſuam inhabitantem, nos elevamus, non quidem nos in ſe teneant, plus tamen & melius, quàm illos quos tenent, & oblectent, & paſcant, & ſuo modo exſaturent. Nempe ſi artificioſâ Brevitate amplitudo regni noſtri, τȣ̃ παντός, exhibeatur mentibus tota: & artificioſâ rationes omnium recludente Facilitate, in ejuſdem poſſeſſionem immittantur mentes: & denique artificioſâ pertractandi hæc ſoliditate obtineatur, ut ab infinitis, flexuoſis, erratiſque opinionum & occupationum ambagibus, ad ſimplices & perpetuas Unius, Veri, Boni, rationes adſtringantur hominum mentes: eoque modo

diſſidiis, erroneis placitis, ſtudiiſque & occupationibus vanis, obſtruantur (quantum poteſt) viæ, nè tam lic.n-tiosè ſerpere valeant.

V. Cujus rei fundamentales rationes quia in Panſophici Templi Ichnographia jam vidimus: nunc modus, quô rem tantam confici poſſe ſperemus, detegendus eſt, quod præſenti Orthographicâ ejuſdem Templi delineatione expediemus.

VI. Externa erecti ædificii facies eo fine delineari ſolet, ut de Totius & Partium ſymmetriâ facilius exactiuſque judicari poſſit. Cujuſmodi ſymmetriæ ideam ſi nos è delineatione apud Ezechielem Templi Dei mutuamur, obſervanda hæc erunt; ut *Ædificium Totum quadratum ſit*; & omnes ejus partes, & partium partes (Portæ, Atria, Areæ, Menſæ, Altaria, &c.) quadratæ; *& omnia lineis merè parallelis* & perpendicularibus conſtantia; *& omnia aperta, plana, libero tranſitui expoſita*; denique quidquid in ſublimitatem aſſurgens, *gradibus præſtructis ita cum inferioribus cõnexum*, ut nihil in-

inacceſſum maneat; ad ipſa uſque Templi faſtigia.

VII. Ad hujus ergò imitationem, nos ante omnia ponimus Sapientiæ Templi cardines quatuor, quos omnia ejus reſpiciant: *PLENITUDINEM, VERITATEM, FACILITATEM & METHODUM*, omnia exacta.

VIII. Quæ quidem quatuor in Scientiæ humanæ fabricâ veluti cardinalia eſſe, obſervaſſe videntur quidam Philoſophiarum cenſores. Nam qui Peripateticæ Philoſophiæ prærogativas enumerant, quatuor iſta jactant: 1. *Quòd nullus Philoſophorum plus Materiarum & Rerum habeat, quàm in ſuis libris Ariſtoteles.* 2. *Quòd Rationes & cauſas Rerum indagaverit.* 3. *Quòd elegans, rotundum, perſpicuum & efficax ſermonis genus adhibuerit.* 4. *Quòd denique Methodum magis, quàm ipſius anteceſſores, obſervaverit.* (Ita hæc Alſtedius habet Encycl. lib. 4. cap. 8.) Quæ ſi in Ariſtotele aut alio quovis bono authore, placent (non placere autem non poſſunt lucidis mentibus) obſervanda utique eò ma-

gis, adeóque maximè, erunt in hoc ſummæ accurationis libro. Nempe ut hìc (1) *Omnium Rerum*, (2) *Omnes Rationes*, (3) *Sermone maximè perſpicuo*, & (4) *Methodo exquiſitiſſimâ, quâ melior non detur, explicentur.*

IX. Plenitudo igitur Rerum & Materiarum, *primus erit Panſophiæ cardo*, cui omnia ejus primò incumbant in toto, & in qualibet ejus parte. In toto, ut hîc tota Rerum univerſitas ſpectetur: Mundus nempè cum omni plenitudine ſuâ. Nec ita ſolùm, ut nunc eſt, ſed etiam ut erat antequam erat, & erit poſtquam non erit; unà cum admirando & adorando Præſide ſuo, Deo. Præſtandum enim eſt Panſophiæ, quod Philoſophiæ fruſtrà optavit Seneca: ut *quemadmodum univerſi Mundi facies, in conſpectum venit, ita illa nobis occurrat, ſimillimum Mundo ſpectaculum.* (Epiſt. 90:) Nam quod addit: *Nobis autem quorum viſus in proximo deficit, ſingula quæque facilius oſtendi poſſunt, VNIVERSI NONDVM CAPACIBVS*: teſtimonio eſt, vidiſſe virum ſagacem Ingenio Univer-

verſum eſſe ſubigendum, ſed nondum poſſe. Impoſſibilitatis cauſas non tangit, quia forſan non intellexit: nobis autem manifeſtæ ſunt. Principiorum ſcilicet fuit defectus: præſertim Revelationis divinæ, cujus ope ea, quæ extra ſenſus ſunt, & ante hominum memoriam fuerunt, & quæ poſt nos erunt, innoteſcere potuiſſent. Tum & obſervationum Senſualium, ab antè actis ſeculis penuria. At nobis cùm & principiorum illum defectum ſupplevit Deus, Verbo ſuo; & continuatæ tot ſeculis obſervationes experimentorum auxerunt theſauros, quidnî capacitatis totius Vniverſi jam facta ſit ſpes? Non igitur amplius per partes ſolùm id contemplemur, ſed toto ambitu ſuo, ut ab æternitate effluunt, & in æternitatem refluunt, omnia, viis & rationibus ad æternitatis ipſius leges accommodatis. Quod Mundo, ſi poſſumus, detegamus, ut homines incipiant, non fruſtulatim ſapere, ſed ex toto: totam mentis aream totâ doctrinarum ſoliditate explentes.

X. Plenitudo hæc Rerum in Panſo-

phia non ſibi antè conſtabit, quàm omnibus & ſingulis, quæ in humanæ & divinæ ſapientiæ theſauris, ſive exſtant jam, ſive adhuc latent, ſuam certam aſſignatam eſſe, aut certè commodam relinqui, ſedem, conſtiterit. Item, de omni Re quidquid utiliter & neceſſariò dici poteſt, hîc dici, aut certè ut exinde educi poſſit, fontes apertos, & canales ritè diſpoſitos, eſſe, palàm fuerit. Nempe, ut quicquid ullus homo loquitur, ſcribit, cogitat, molilitur, agit, partem eorum agat, quorum hîc totum erit.

XI. Quod aliâ obtineri poſſe ratione ſpes nulla fuit, niſi ut ultimo fine noſtro (ob quem & nos ſumus, & Mundus, & omnia illa quæ nos hîc circumſtant; & nobis ſive ſpectanda, ſive agenda, & ſive utenda, ſive fruenda, obveniunt, beatitudine ſcilicet in Deo noſtrâ) pro totius Operis baſi fixo, ad hoc veluti centrum omnes undique ſcientiæ noſtræ radii referantur, illique ultimæ æternæ metæ omnia hæc quæ in temporis fluxu antecedunt, tanquam media ſuo fini,

ſubordinentur. Quod quâ ratione à nobis expeditum ſit, videbunt paulò infra, in Methodi Panſophicæ delineatione, ſpectatores. Hic monentur ſolùm, ut *plenitudinem Rerum* primum eſſe, adeóque primarium, quod in Delineatione hac Templi Panſophici, attendant, & dijudicent.

XII. Cujus ſecundum cardinem poſuimus *VERITATEM*, quam itidem omnia reſpiciant. Huic enim nos cœleſti nymphæ religioſiſſimam in Panſophiæ Templo, conſecravimus aram, ad quam nullo ficto pravoque dogmati acceſſus pateat. Ne quid igitur vanum, falſum, fucatum, ingerere ſe huc poſſit, cuſtodes adhibemus intemeratæ fidei, *Res ipſas, & divini oris de rebus Teſtimonia*; cum proprio cujuſvis hominis *Senſu*, & adverſus aberrationes benè præmunitâ *Ratione*: ut ne fucum ſibi fieri ulla in re quiſquam hîc metuere neceſſe habeat. Colliguntur itaque hîc omnes de Rebus omnibus (hactenus ferè hinc inde ſparſæ) Veritates, & ad radices ſuas tali evidentiâ reducuntur, quâ ſub æter-

num immotæ Veritatis obſequium omnium hominum mentes captivari, verique confeſſio reluctantibus quoque tandem extorqueri: aut ſi quis reluctari pergat, ut Communi Senſui, & Conſcientiæ ſuæ, & Rebus, hoc eſt, generi humano, ſibi ipſi, Deo, bellum indicere, convinci poſſit. *Atque hoc erit ſecundum, prægrande, quod obſervabit ſpectator,* an hîc eâ evidentiâ & certitudine Rerum Veritas tradatur (videbit enim ejus methodi ſpecimen infrà) ut contradici non poſſit. Si ſecùs animadverterit, ſcopum noſtrum nos eâ parte nondum aſſequi, palmamque aliis relinquere, intelliget.

XIII. Nam & judicare de Rebus his ut *FACILE* valeant omnes, qui ſanâ mente à Deo donati ad Panſophici Templi ſtructuram accedent contemplandam, efficere inſtituimus, *SERMONIS PERSPICVITATE*; *quam tertium Vniverſalem totius ſtructuræ hujus cardinem poſuimus.* Poſt Veritatis enim (ſummum, & nuſquam intermittendum) reſpectum, præcipua erit cura, ut quidquid tradetur, omnes intelli-

telligant. Quod quâ ratione obtinendum putem, dicendum eſt apertè.

XIV. Obſcuros illos & perplexos ſecundarum, quas vocant, notionum terminos (quibus non tam ſcatent, quàm rigent & horrent, plerique omnes vulgaris Philoſophiæ & Theologiæ libri) prorſus ut ſcopulos declinamus. Quid enim opus eſt me ita loqui, ut nemo intelligat, aut vix pauci, ſi loqui poſſum, ut intelligant omnes? Quidnî autem poſſim? Exemplum dabo. Logicæ officium volens accuratè deſcribere non nemo, ita ſcribit: *Logicæ ſubjectum eſt, informationis, tractationis, & usûs. Subjectum informationis eſt Ingenium; primariò quidem Ratio, ſecundariò verò partim Memoria, partim oratio. Subjectum tractationis eſt modus benè diſſerendi. Dicitur aliàs Subjectum artis, itemque doctrinæ & internum. Subjectum usûs eſt ens & non ens, quod aliàs dicitur Subjectum artificis & externum, &c.* Quis hæc amabò intelligit, niſi annorum aliquot uſu ſpinis iſtis aſſuetus? Ego ſi dixero; *Logica informat & di-*

rigit mentem, in cogitando, in recordando, in ſermocinando, idem omninò dixi, quod prior ille: ſed ita dixi, ut me doctus pariter & indoctus intelligat. Plus ergò dixi, quia pluribus; ille minus, quia paucioribus, tametſi majori verborum ambage, & ſub ænigmatum involucris. Ego autem quidnî ſic loqui malim, quomodo me non in ventos loqui ſperare poſſim? Deus cui populo iratus eſt, illi exotico ſermone loqui ſolet. (Ieſ. 28. 11.) Et cùm confundere vult Babylonis ædificatores, confundit eis linguas. (Geneſ. 11,) cùm autem ædificare Sionem, reddit expeditum linguæ uſum, ut ſe intelligant mutuò, qui antè non poterant. (Act. 2.) Ideò Paulus redarguens captatam inde quorundam laudem, quòd idiotis ignotè loqui poſſent, dicit: *Tu quidam rectè iſta; ſed alius non ædificatur. Malo in Eccleſia quinque verba ex intelligentia loqui, ut & alios voce inſtituam, quàm decem millia verborum linguâ.* (1. Cor. 14. 17, 19.) Quòd ſi uſquam, hîc certè imitandum erit, ubi in facie totius Eccleſiæ, imò gene-

generis humani, ad communem omnium ædificationem, Res verbis explicandæ veniunt.

XV. Nondum ab hoc cardine digredi placet: quia multi profectûs ſpes eſt, ſi illa tritorum hactenus, & inutili uſu meritò detritorum, obſcurorum terminorum ſcruta auferantur. Braheo certè cordati Viri gratulati ſunt, quòd ex Aſtronomia Orbes Reales, Eccentricos, Epicyclos, Deferentes, Æquantes, cæteramque illam inutilem ſupellectilem, ſuſtuliſſet, motus cœleſtes planioribus hypotheſibus edocens. Quidnî ergò per omnia ſcibilia tentamus idem? Ad tollendos tot ſuperfluos, obſcuros, confragoſos, monſtroſos etiam, terminos: per quos ſcientiarum vireta adeuntibus, veluti per ſpinas incedendum eſt, & quibus compuncti plerique aut cohorreſcunt, & ſe retrahunt, aut nonniſi ſaucii laceratiſſimis cum animi conceptibus, perambulant. At verò ſi talibus carere, & res per ſe planas verbis planis, omnibus intelligibilibus, explicare poſſumus, quid opus tricis? Rectè Seneca:

Quemadmodum delicatas Res deſiderare, luxuriæ eſt; ita uſitatas & non magno parabiles fugere, dementiæ eſt. Frugalitatem exigit Philoſophia, non pœnam. (Ep. 5.) Aut igitur hoc agamus, ut omnia ſcibilia eo modo tradantur, quô ab omni humano intellectu promtè, ultrò, ſine interprete capiantur: aut nihil agimus. Nos quia miſertum eſt juventutis, cui citra neceſſitatem, tot ubique figuntur cruces, tollere eas, (aut ſi quos terminos retineri uſus poſcit, commodo ſitu, & definitione bonâ, mollire) tentamus. Quàm rectè, judicare poterunt docti, ſi modò ſine præjudicio poterunt. A quibus tamen ſi calculos non impetramus, appellabimus ad τὺς νηπίυς, parvulos & idiotas, qui ſi melius noſtra capient, horum acquieſcet judiciis ipſa Veritas. Non enim novum eſt Veritatis æternæ doctori applaudere parvulos, ſenioribus in conſueto ſuo torpore perſeverantibus. *Atque hoc tertium erit principale, quod ſpectatores obſervabunt*, an hæc noſtra tam clara ſint, ut expeditè à quovis intelligantur?

Cui

Cui rei (ut jam dixi) nemo non idoneus erit judex: imò forſan quò quis magis rudis & ſimplex, eò idoneus magis.

XVI. Quartus moliminis noſtri cardo, qui toti ædificio Panſophiæ robur mirabile conferet, eſt *Methodi concinnitas*: quam volumus tantam, ut qui per hæc ibunt, tam ſibi connecti ſentiant mentis ſuæ Conceptus, quàm ſe Res ipſas in Univerſo connectere videbunt. Quod ut aliquando Methodi beneficio haberi poſſet, pridem optãdum erat: nè ſemper ita doceamus, ut *diſcipuli maneant diſcipuli, doctores verò doctores*, (quemadmodum loquitur Scaliger) aut etiam ut lites & diſſidia, quæ irrepſerunt, ſemper producamus, nunquam [illegible]minemus. Nos quid hîc conemur, & quantâ concinnitate Res Rebus connectere, humanis autem mentibus innectere, inſtituamus, jam prodendum eſt. Atque hoc erit quartum, quod ſpectatores principaliter advertent.

XVII. *METHODI Panſophicæ* tres nobis ſunt *ſummæ & eſſentiales Virtutes*:

1. CO-

1. *COHÆRENTIA omnium perpetua.*

2. *GRADATIO perpetua.*

3. *VNIFORMITAS perpetua.*

quarum beneficio obtinere ſperamus, ut hîc doceantur & diſcantur omnia facilè, evidentiâque & certitudine Veritatis ſummâ, & tanquam Mathematicâ.

XVIII. COHÆRENTIA perpetua in eo eſt, quòd omnia maxima minima, à primis uſque ad ultima, concatenata erunt, & alia ab aliis ſic dependebunt, ut nihil omnium quæ uſquam ſunt, vel effugere, vel alio quàm ſuo loco ſpectādum obvenire, poſſit. Hactenus quia Res & Verba ſparſim ferè jacebant, nec diſpoſita verè per claſſes ſuas, nec colligata inter ſe nexibus perpetuis: fieri aliter non potuit, quàm ut ſparſim quoque, & occaſionaliter ferè ſolummodò, tum invenirentur, tum in farraginem comportarentur, de Rebus & Verbis obſervationes; è quibus conſtruebantur Regulæ, & per varios Diſciplinarum (quarum nec numerus certus fuit, nec

ordo

ordo) cumulos disjiciebantur. Connubio autem Rerum & Verborum reperto, & per intervenientia legitimorum Conceptuum vincula ſtabilito, (ſi Conceptus, accuratè & examuſſim Rebus abſtracti, accuratè rurſum & examuſſim Verbis ſe imprimant) impoſſibile erit quicquam effugere poſſe, quod non in ordinem veniat.

XIX. Hoc nempè quæritur, ut quemadmodum omnia quæ ſunt, cogitarique & dici poſſunt, unus ſunt ſuâ plenitudine ſeipſum undique connectens Mundus: ita quæ de tota illa Rerum univerſitate cogitantur & dicuntur, nonniſi unum ſint ſcientiæ noſtræ ſyſtema, in ſe indivulſum, & partibus ſuis ita ſe undique connectens, ut nec omitti quicquam, nec bis repeti opus ſit: & unumquodque non alibi quàm loco ſuo decorè ſtans, conſpiciatur. Ita demum fiet, ut opus hoc Mundo ſit ſimilimum, cui ſine ruina, aut certè turpi hiatu, nihil ſubduci, nec ſine monſtroſitate notabili quidquam apponi, aut tranſponi, poteſt. Et quod olim Homero verſum ſubtrahi poſſe impoſſi-

poſſibile creditum fuit, id de opere Panſophico meliori jure dicendum eſſe, ut pateat.

XX. Ejuſmodi Rerum & Conceptuum concatenatio haberi poterit, ſi per Univerſitatem Rerum eatur *Analyſi perpetuâ*, à primo nempè & ſummo Entis conceptu per omnes Rerum differentias, ad ultimos uſque & inſectibiles differentiarum, quantum notari poſſunt, apices: de ſingulis mox, quicquid eodem loco dicendum eſt, dicendo.

XXI. Verum enimverò *Analyſi Rerum prorsùs novâ opus eſt*: quia quas adhuc habemus, ad hunc uſum non ſufficiunt: præſertim famoſa illa Ariſtotelica decem Prædicamenta, ad quæ tanquam ſumma Rerum genera, omnia revocari poſſe, vulgò credunt: quomodo tamen genera illa in ſpecialiſſimas uſque ſpecies diduci poſſent, nec Ariſtoteles oſtendit, nec alius quiſquam. Unde fiebat ut Rerum contemplatores in Rerum & Conceptuum univerſitate, tanquam in infinito Chao oberrârint; & qui oblata the-

themata reducere ad Prædicamenta tentabant (quod factitare jubebamur in Scholis) id aut non ſuccederet, aut non ſine hæſitatione & violentiâ. Quod argumento eſt, venas Rerum non rectè fuiſſe detectas: quemadmodum & hoc, quod ibi nec redditur, nec per ſe pateſcit ratio, cur tot conſtituantur, non plures, vel pauciores Rerum claſſes? & cur eo ſe invicem inſequantur ordine? Cùm tamen, ſi articulorum juncturas rectè notare didiciſſemus, Rerum Univerſitas ultrò ſe per ſuos artus reſolveret, ultroque Res eo ordine & numero procedere, non alio, pateret.

XXII. Tentanda igitur res eſt de integro. Non obſtante, quod Ludovicus Vives in naturalibus aliquid perfectum præſtari poſſe deſperet, dum ſcribit: *Deſcribere formarum ordines, & tanquam in claſſes ad cenſum vocare, & ordinare eas in ſpeculatione noſtrâ, quemadmodum ordinatæ ſunt in Natura, hoc verò ſolus Ille poteſt, qui condidit. Nam nobis proprietates Rerum, vires, excellentiæ, ignorantur; niſi* *for-*

forte in genere. (Lib. 1. de Prima Philoſ. Eſto autem, non aſſequamur ubique plenum & exactum Rerum ordinem : eum tamen aliquantò melius conſtitui, quid vetat ? Confidimus enim, tametſi in Subſtantiarum per ſuas formas dislocatione noſtra deficiat induſtria, in Accidentibus tamen, & aliis Entium generibus, artificium nos exhibituros novum: ut ſi non perfecta, perfectæ tamen proxima, Rerum analyſis haberi queat.

XXIII. *Perfectæ autem Rerum Analyſeos has ponimus conditiones* : Primò, ut ſit *prorſus univerſalis* omnia exhauriens : ut ne quid uſquam occurrere poſſit, quod non hîc inter vicina ſua ſedem reperiat. Secundò, *ut ſit non violenta & coacta, ſed* Rès *membratim, quomodo ſe ſponte reſolvunt* (ſenſu & intellectu nuſquam repugnante) diſponens. Tertiò, *ut cauſa, cur tot Rerum claſſes ſint, nec plures vel pauciores fingi poſſint, ubique aut reddantur, aut per ſe pateant.* Hoc demum ſcientiæ Univerſalis pariet cùm amœnitatem, tùm ſecuritatem.

XXIV.

XXIV. Porrò, quemadmodum Mundus, quanquam in ſe unus indivulſus, partibus tamen ſuis luculenter diſtinctus eſt, ordinis causâ: ita *Panſophiam, licet continuum unum ſyſtema, in partes quaſdam, Libros & Capita, ſive dividi, ſive diſtingui neceſſe erit.* Id autem non ad placitum, ficto aliquo ordine, ſed ſerie quam ipſa ultimi finis intentio (noſtra ſcilicet in Deo beatitudo, per omnia quæ uſquam ſunt aut promovenda, aut illuſtranda,) præſcribet. Cujus ductum ſi ſequimur, prodibit nobis Opus tripartitum, reſolvendum tamen in ſectiones, ſive *Libros, ſeptem.*

XXV. Ante omnia enim præmitti opus eſt Mentium quandam præparationem ad id, quod agendum ſuſcipitur: quod vulgò *προθεωρίαν*, Latinè *Præcognita*, vocant. Tum ſequetur ipſum *Panſophiæ corpus*, *θεωρίαν* ſeu contemplationem omnium, quæ uſquam ſunt, exhibens. Tandem *ἐπιθεωρία* concludet, verum omnium quæ verè ſciuntur, *Vſum* monſtrans.

XXVI. Protheoriâ, ſeu Præcognitis,

tis,opus eſt,quia in omni producendo opere materiam prædiſponi opus eſt, ut recipiendæ formæ apta fiat: quidni ergò & homines, antequam docentur, dociles reddi? Profectò niſi ludere volumus operam, pretioſumque ſapientiæ liquorem pertuſis infundere doliis,à præparamentis inchoare,non ab opere ipſo, neceſſum eſt. Nempe, ut homines è conſueto mortalibus veterno evigilare, & aliquâ veriorum & meliorum bonorum, quàm quæ cum brutis communia habent, curâ tangi incipiant. Quod hæc Panſophiæ προθεωρία ſeriò efficere laborabit.

XXVII. *Theoria* verò ipſa Res ipſas tractabit, ordine eo, quo productæ ſunt, & procedunt, tandemque deſinent. Quæ conſideratio *partes Panſophiæ Eſſentiales quinque* dabit. Nempe, quia Deus (1) antequam conderet Mundum,in mente ſua divinâ *Rerum Ideas* (id eſt, rationes & formas, ſecundùm quas Res formandæ erant, & formatæ ſunt)repoſitas habuit. Et tum (2) ad illas ideas Mundi machinam conſtruxit, eique vim, quam Naturam

turam vocamus, indidit, ad continuandum vel ſine fine (ſi permittere vellet) motus & operationes ſuas. Et quia (3) Naturæ vim præcipuè in homine concentraverat, illaq; ſe exſeruit variè, ut ab Ingenio humano mira prodirent opera, quæ Natura ipſa nunquam produxiſſet, quorum plenus eſt Mundus. Et quia Homo tamen (4) in re momenti maximi, Regimine ſui, maximè aberravit, & per id ſe in exitium præcipitavit æternum: Deuſque denuò admotâ manu hominem reſtituit, & reſtituto novas præſcripſit leges, quas ille ſi ſervat, interitum effugit; ſi non ſervat, demum ſe perditionis barathro plenè immergit: fietque tandem (5) ut Deus ſublatâ hâc viſibili ſcenâ, inviſibilem ſuam majeſtatem & gloriam electis Creaturis detegat, & beatæ æternitatis faciat conſortes, ultimaq; hęc erit Rerum linea, quâ Deus erit & ſpectabitur omnia in omnibus. Horum omnium contemplatio dabit eodem ordine *Panſophiæ partes quinque*. In quarum prima generales illas & communes Rerum Ratio-

tiones, ſecundùm quas omnia particu-ria ſunt & fiunt, colligimus & con-templamur. In ſecunda ſpeculari ha-bemus Naturæ totius curſum: in ter-tia Ingenii humani opera, inventa & invenienda. Exinde tranſitio fit ad myſteria perditionis & reſtitutionis noſtræ conſideranda: quæ in æterni-tatis ſtatum deſinunt.

XXVIII. Abſolutæ hoc modo Re-rum Theoriæ ἐπιθεωρία colophonem imponet, Uſum verum Sapientiæ ve-ræ commonſtrans.

XXIX. *Ita ergò Panſophia tota ſe-ptem libris conſtabit.* Quorum primus continebit PRÆPARATORIA; Se-cundus IDEALIA; tertius NATURA-LIA; quartus ARTIFICIALIA; quintus SPIRITUALIA; ſextus Æ-TERNA; ſeptimus PRAXIN omnium horum, ut quod ſcimus, ad illuſtres uſus transferre ſciamus.

XXX. Quâ ratione Panſophia Ar-borem quandam pulchram referet, propriis radicibus exſurgentem; pro-prio, eoque firmo & moli ſuſtentan-dæ ſufficiente, ſtipite innixam, in ra-mos

mos diſtinctiſſimè ſe pandentem, & vivificâ per omnia diffusâ vi, Fructus ſaluberrimos proferentem. Radix illa Panſophiæ totius *Præcognitorum* ejus Liber erit, Stipes ſeu Truncus, *Idealis* illa ſcientia, quam *Panſophiam*, vulgò *Metaphyſicam* vocant. Rami cardinales eorum, quæ hac in vita ſunt, & ſpectantur, ſunt tres: *Naturalium*, *Artificialium*, *& Spiritualium* contemplatio. Vis per omnia hæc diffuſa omnia vivificans, & vegetans, *Deus eſt, æternitatem inhabitans*, ſimul tamen temporalia omnia permeans, diſponens, gubernans. Fructus tandem erunt varii ſcientiæ veræ ad præſentem & ſequuturam vitam *Vſus*.

XXXI. Similem diſpoſitionem dederat nobis (ut in Conatuum Panſophicorum Dilucidatione oſtendimus) Templi Ezechiliani contemplatio, in VESTIBULUM, PORTAM, ATRIUM primum, ſecundum, tertium, SANCTUARIUM, & tandem FONTEM aquarum viventium. Sed obſervandum eſt, quemadmodum ibi totum Templum fuit ſacrum Deo, niſi quòd ab-

ditiſſima ultimo aſſervabantur penetrali; ita in Panſophiæ Templo omnia perſonare debere Deum, ut ſine quo nec eſt, nec fit, nec aliò quàm ad ipſum refertur, quicquam. Nempe quia ſolus ille eſt, ex quo, per quem, & in quo omnia ſunt, impium fuerit quicquam tacere laudes ejus. Nec ut in fine demum omnia ſe in ejus gloriam reſolvant, (quod utique futurum eſt,) ſed ut quaquâ ibitur, ab ipſo jam ſacri hujus Templi ingreſſu, tacitos omnium Rerum clamores audiant & intelligant religioſæ aures, id præſtandum eſt. Quod erit, ſi omnia luſtrantibus, illa ſimul à fine ad finem pertingens, & omnia ſuaviter diſponens ſapientia. (Sap. 8. 1.) cum omnibus & in omnibus ſpectanda, exhibeatur: ut ubi ubi erimus, omnia nobis, etiam aliud agentibus, mentem ad illam erigant & dirigant.

XXXII. Cujus rei occaſiones captare nihil erit opus. Tam ſe ultrò dabunt in hac Reali ſcibilium diſtributione, quàm Res ipſæ ubique ſenſibus obviæ. In veſtibulo enim conſideranda

da ſe palàm offeret Bonitas & Sapientia Dei: qui homini finem in ſeipſo, æternæ ſuæ beatitudinis conſortio, deſtinavit; eoque omnia liberaliter communicata media diſpoſuit, & mediorum illorum modum & uſum docuit, docetque. In Porta ille contemplandus veniet, ut prima omnium quæ ſunt cauſa; quomodo eum ut inviſibilem ſui radicem omnia viſibiliter repræſentent, & tamen ſibi omnibus infinitò ſupereminere oſtendant. In Atrio primo ſimul cum Natura ſpectandum ſe offert Naturæ Author, tanquam occultus νευροσπαστὴς, potentiſſimuſque rector ſupra & contra omnes Naturæ vires ac leges liberè operari, quoties allubeſcit, valens. In Atrio Secundo, ubi Hominis Regnum ſpeculando pertranſitur, contemplandus ſimul obvenit Rex regum, qui Homini tantum hoc Rerum dominium conceſſit, limitibuſque circumſcripſit, & ſceptra ejus pro arbitrio regit, prohibet aut inhibet. In Atrio tertio feliciſſimi Hominis ſtatûs deſcriptio fiet, ſi Deo ſubſit; &

horrendæ confuſionis ſi obſequium deſerat, & in ſeipſum relabatur, novæque rursùm beatitudinis, ſi obedientiæ viam, quam Dei filius, reſtituendis perditis rebus noſtris à Patre miſſus, docuit, inſiſtat. In Sanctuario gloria Dei, ut eam plenè retectâ facie in æternum ſpectabunt beati, ſpectanda exhibetur: quantum ejus nunc jam revelare viſum eſt Deo. Tandem verò offeret ſe quærenda ratio, quâ omnia illa in uſus quàm optimos translata, inprimis gloriæ magni Dei illuſtrandæ ſerviant.

XXXIII. *Hæc de partium Panſophiæ Cohærentiâ*, ubi de numero earum unum quiddam etiam monere libet Cenſorum in gratiam. *Videri* poſſet prima & ultima pars, ut enumeratæ ſunt, non eſſe Panſophiæ partes: cùm prima tantùm præparet, ultima obſignet, rerum cognitione imbuendos & imbutos animos. Rerum ipſam ſeriem ſufficienter comprehendi corpore intermedio, partium quinque. Concedo: atque inſuper ajo, inter has etiam quinque extremas duas ſimili quodam-

dammodo officio, præparatorio & obſignatorio fungi. Nam Metaphyſica nihil in ſpecie tradit, omnium tantùm generalia fundamenta ponit. Contemplatio verò Dei extra creaturas, nihil eſt niſi cognitionis ejus, quæ ex creaturis collecta antecesſerat, faſtigium: & cujus tamen perfectio in cœlos differtur. Ut reſtet ſolas tres partes medias (tria illa templi Panſophici Atria) omnia illa quæ nobis hac in vita comprehendere datur, integrè complecti, *Naturalis noſtræ, Rationalis, & Spiritualis vitæ apparatum omnem.* Ita eſt ſanè. Verum enim verò aliud eſt Rerum Univerſitas, aliud Rerum Univerſitatis ſcientia, hoc eſt, Panſophia. Illa noſtris præparamentis nihil eget, hæc omninò. Quia enim Rerum ſcientia transplantatio earundem quædam eſt in animos noſtros, transplantationis illius ignorari non oportet, neque peragendæ modum, neque peractæ uſum. Ideò Salomo, cùm acquirendæ Sapientiæ cognoſcere inciperet vias, illud ipſum jam Sapientiæ partem eſſe credebat (Sap. 8. 21.) Nec

ſapiens verè eſt qui aliquid ſcit, & uſum ejus quod ſcit, neſcit. Amputari itaque à Panſophiæ corpore partes illæ, prima & ultima, nullâ ratione poſſunt: multò minùs ſecunda & ſexta. Quia ut ædificium ſine fundamento, & arbor ſine trunco ſuo, conſiſtere nequeunt: ita nec ordo Rerum, quo particularia omnia continentur, ſine Ordinis baſi, quam ſapientia prima detegit, cognoſci. Denique omnia ſcire dici non poſſet, qui Deum quidem in Creaturis, & Creaturas in Deo, contemplaretur, non autem etiam quid Creatura ſit extra Deum, & quid Deus extra omnem Creaturam, cognoſceret. Quod quia in ultimo & profundiſſimo ſuo receſſu *Panſophia* (Dei & Verbi ejus ductu) piè meditari cogitat, ultimo hoc penetrali ſuo privanda non eſt.

XXXIV. *Secunda Methodi Panſophicæ virtus GRADATIO eſt*: quâ Res Rebus ita cõnectuntur, ut ſemper & ubique poſteriora è prioribus naſci, & ignotiora è notis jam præmiſſis ultro exſurgere, videantur, ſine ſaltu & hiatu

hiatu ullo. Qualiter nempe in Arbore fieri videmus, ut è Radice ſurgat Truncus; è Trunco Rami; è Ramis Ramuſculi; ab his Germina, Folia, Flores, Fructus, ordine indivulſo, quô ſemper à prioribus poſteriora & producuntur, & roborantur, & vivificantur. Tali gradatâ Rerum concatenatione obtinere quærimus, ut diſcentium mentes gradatim ſe ad omnia elevare non ſolùm ſufficiant, ſed & (recidendi aut aberrādi periculum nullum veritæ) geſtiant: eorum autem qui pravis opinionibus alibi hauſtis liberandi, & ad rectas de Rebus ſententias reducendi ſunt, mentes, gradatione tali velut inter cancellos & metas detentæ, quamvis præconceptæ opinionis amore elabi vellent, præcipitii tamen metu progredi, & ad Veritatis liquidæ culmen uſque provehi, neceſſe habeant.

XXXV. Quem ſolum eſſe adſuetas (ignorantiæ, aut errorum) tenebris mentes in lucem claram innoxiè traducendi legitimum modum, vidit & docuit magnus Veritatis docendæ artifex,

tifex. *Auguſtinus* his verbis: *Ægri oculi ipſo, quem videre vehementer deſiderant, fulgore feriuntur, & eo vix viſo in tenebras cum delectatione redeunt. Quibus periculoſum eſt (quamvis jam talibus, ut ſani rectè dici poſſent) velle oſtendere, quod adhuc videre non valent. Ergò iſti exercendi ſunt prius; & eorum amor utiliter differendus atque nutriendus eſt. Primò enim quædam illis demonſtranda ſunt, quæ non per ſe lucent, ſed per lucem videri poſſunt: ut Veſtis, vel Paries, aut aliquid horum. Deinde, quod non per ſe quidem, ſed tamen per illam lucem pulchrius effulgeat: ut Aurum, argentum, & ſimilia: nec tamen ita radiatum, ut oculos lædat. Tum fortaſſe terrenus iſte ignis modeſtè demonſtrandus eſt: deinde ſidera; deinde Luna; deinde Auroræ fulgor, & albeſcentis cœli nitor. In quibus (ſeu citius ſeu tardius, ſive per totum ordinem ſive quibusdam contemtis) pro ſua quiſque valetudine adſueſcens, ſine trepidatione, & cum magna voluptate ſolem videbit. Tale aliquid ſapientiæ ſtudioſiſſimis, nec acutè eam tamen viden-*

dentibus, Magiſtri optimi faciant. Nam ordine quodam ad eam pervenire, bonæ diſciplinæ officium eſt, ſine ordine autem vix credibilis felicitatis. (Soliloq. lib. cap. 1 3. Hæc ille felix & prudens Veritatis Doctor, de prudenter & efficaciter veritatem docendi viâ. Quam nos imitati, omnia de Sapientiæ theſauris depromta, & mortalium oculis expanſa, ita ſibi invicem ſubordinare inſtituimus, ut non extraordinariæ alicujus felicitatis, ſed ordinariæ diligentiæ (Deo clementer adjuvante) opus ſit, ſapientiæ faſtigia attigiſſe.

XXXVI. Nam vel ipſa partium Panſophiæ ſeries eo modo gradata eſt. *Præcognita* quippe *Panſophica, quid aliud quàm luſcioſis hominum oculis aptè paratum collyrium erunt*? quô inuncti tenebras ſuas proſpicere, & è tenebris in lucem (ſibi jam quodammodò promicantem) ſeſe promovendi vias notare, eoque convertendi ſtudii deſideria perſentiſcere incipiant? Cum autem eo modo ſapere velle incipient, exercebuntur, & amor eorum utiliter differetur atq; nutrietur, con-

templatione Rerum generalium: Cō-munium ſcilicet Notitiarum, quibus æterna lux, Deus, artificii ſui rudimenta quædam impreſſit omnium hominum mentibus: quæ hîc (in Panſophiæ prima parte) ſimul perluſtrando, radios quoſdam Sapientiæ illius architectricis, per omnia ſparſos, notare incipient. Tum producentur ad illuſtriora Dei opera ſpectanda, Naturæ in atrio: ubi videbunt, quàm vividis Sapientia Dei coloribus prima illa ſua lineamenta in Rebus creatis illuſtrârit. Dehinc in Artis Atrium admiſſi, conſiderabunt lucis illius æternæ, mille modis reflexos, refractos, ſibique invicem variè contemperatos radios, merâ & ad ſtuporem mirâ harmoniâ. Inde altiùs progreſſis oſtendetur, primò quidem tenebrarum noſtrarum, in quas nobis permiſſi prolapſi ſumus, chaos horrendum, & abyſſus interminabilis; inde autem ad abſorbendum hanc demiſſi fulgentiores æternæ lucis radii. Tandem elevabuntur mentes, ad contemplandum ipſum æternitatis SO-

LEM,

LEM, qualis in ſe eſt, & ſpectabitur in majeſtate ſuâ in æternum.

XXXVII. Gradationis hoc artificio obtinere ſperamus, ut ſenſim ſine ſenſu ad quodvis faſtigium perducantur mentes, non relictâ ſive infirmis hallucinandi, ſive ſciolis & præjudicioſis contra verum argutandi, occaſione ullâ. Notum quippe eſt inſuetis ſublimium, ſi ſubitò in turris faſtigium deferantur, viſum turbari, ut aut deſpicere trepident, aut etiam vertiginem patiantur: ſi autem è locis minus excelſis proſpectare adſueſcant, & gradatim ſe elevent, acie firmâ æquè in ſublimi atque humili uti. Notum & hoc: omne contrarium illi rei cui quis aſſuevit, ſi ex improviſo veniat, vehementer percellere ac turbare ſenſus, adeò ut Veritas quoque illis, qui errori alicui aſſueverunt, repentè nimis oblata in horrorem animos det, ut ſe lædi videantur, & ſe opponant, Veritatique ipſi contradicant, & cum ipſa litigent. Hoc igitur ne eveniat hoc loco, ubi non Palæſtra digladiationi, ſed Templum contemplationi, paratur,

præcavebit talis hæc rerum ſcala: in qua vel primo & imo gradu (in ipſa Panſophiæ Porta, Metaphyſica) tam univerſalia, per ſe clara, omnium Principia ponentur, ut illis conceſſis (non concedi autem non poterunt, niſi quis aut pudorem exuiſſe, aut cum ratione inſanire velle videri velit) reliqua ſimul omnia per totam Panſophiam (modò gradatim quoque alia ex aliis procedant) concedere quiſque neceſſe habeat, propter conceſſas jam generales Rerum formas & normas, quas tantum ubique applicari, nuſquam novas fingi, videbit. Quod porrò eò ſerviet, ut ſententiis circa particularia diſſidentes, in conſenſum revocari, aberranteſque vel ipſi *ſeipſos caſtigare* valeant. Generalibus ſiquidem Veritatis normis jam conceſſis, loqui contra eos (pro ſuo particulari errore pugnando) non audebunt. Quod artificium imitatio quædam erit divini illius ſtrategematis, quô in convertendo Rege ſuo feliciter uſus fuit Nathan Propheta. Quemadmodum enim David in theſi detentus, contra ſemetipſum

ipſum pronunciavit, ut ad hypotheſin deductus obmuteſceret, errore agnito: ita hîc quicunque generalem admiſerit, & aſſenſu ſuo comprobaverit Veritatem, eo ipſo ſolidabit fundamenta, ad quæ aberrantes opiniones ſuæ pòſt alliſæ ultrò diſſiliant.

XXXVIII. *Tertia Methodi Panſophicæ Virtus, erit Vniformitas:* quòd non materia hæc ſic, alia aliter, ſed omnes modo eodem, tractabuntur. Nempe quemadmodum ſtructura Templi Salomonici & Ezechiliani ex meris parallelogrammis conſtabat, ut omnia eſſent aut quadrata, aut quadrangulata, per totum: ita in Sapientiæ Templo, quicquid occurret, per *quatuor cardinales quæſtiones, QVID? PER QVID? QVOMODO? & QVOTVPLEX? explicabitur*, cum annexis, ubicunque res poſcet, cauſis. Per has etenim quæſtiones quatuor, innoteſcit, quidquid eſſentiale eſt. Puta (1) *Res,* (2) *Requiſita Rei.* (3) *Requiſitorum modi.* (4) *Modorumque modi,* ſeu differentiæ, quas Rerum Genera & Species vocant. Prima quæſtio ex-

peditur Definitione, quid Res in eſſentia ſua ſit, explicante. Secunda, integrâ Rei ſtructurâ, ſeu Ideâ, rem in eſſentialia ſua requiſita reſolvente. Tertia Axiomatibus, tam de Re, quàm requiſitis ejus omnes Eſſentiales Veritates enunciantibus. Quarta Diſtributione Rei per novas differentias ſpecificas, ſi quas porrò ſub ſe habeat. Atque tum quælibet illarum rurſus, ut novum thema ſumitur, per eaſdem quatuor quæſtiones deducendum.

XXXIX. Hæc erit Methodi noſtræ forma perpetua tanquam Panſophica quædam, verè artificioſa, *Circuli Quadratura*, quâ Methodorum vaga volubilitas ad firmiorem aliquam ſtabilitatem reduci poſſit. Quod enim de Quadrato pronunciant Geometræ, illud eſſe omnium figurarum menſuram, id de Methodo hac quadrangula meritò dici poterit, eam omnium Methodorum menſuram fore. Placet autem hanc, ne ænigmata loqui videamur, uno & altero, & tertio, tàm de Naturalibus, quàm Artificialibus & Moralibus ſumto, exemplo illuſtrare.

XL.

XL. Et naturale quidem exemplum placet ſumere triplex, Subſtantiale, Accidentale, & Defectivum ſeu Privativum. *Subſtantia ſit SOL: cujus Panſophica quadrata brevis & nervoſa, ſcientificaque tractatio talis foret.*

Definitio.) Sol eſt ſidus cœli maximum, Terræ per circuitum colluſtrandæ, & per id omnibus in ea vegetandis temporumque vicibus dimetiendis, deſtinatum Naturæ inſtrumentum.

Idea.) Conſtituitur itaque è tribus: 1. Lucis fulgentiſſimæ in unum conglobatæ prægrandi maſsâ. 2. Virtute quâdam vivificâ, cum radiis diffluente. 3. Motu in circuitum perpetuo.

(NB. Si quid hîc dubium videretur, probandum eſſet ſingularum aſſertionum cauſis redditis, ut ad ſequentia inoffensè eatur. Quale hîc eſt quod de Solis motu, ab aliis Terræ attributo, dicitur. Verùm lis hæc in partiali hac thematis hujus tractatione, ubi præmittenda præmiſſa non ſunt, decidi non poteſt. Admittatur interim hoc

hoc ut certum, ut undique Terram colluſtret Sol, Motu circulari eſſe opus, ſive ille Soli inſit, ſive Terræ.)

Axiomata:) 1. Sol eſt lucis fons præcipuus: [Quippe per reliqua ſidera perpetuam ageremus noctem.]

2. Solis eſſentia lux eſt [Tolli enim ab illo non poteſt, quin eſſe Sol deſinat.]

3. Solis lux per radios emanat [Patet ad oculum, & rationibus evincitur.]

4. Solis lux cum radiis quoquo verſus diffluit. [Non ſolùm ſcilicet verſùs Terram, ſed & ad latera: quod illuminationes Lunæ, ubi ubi fuerit, oſtendunt.]

5. Solis ergò corpus globoſum eſt. [Nec enim radii per circumferentiam ſpargi poſſent, niſi è circulari figurâ.]

6. Sol quocunque radiis pertingit, lucem & calorem miniſtrat.

7. Et utroque illo vigorem rebus indit.

8. Sol ſemper Terræ dimidium colluſtrat, altera medietas incolluſtrata manet.

9. So-

9. Solis illa ſupra Terram præſentia, Diem facit;abſentia Noctem.

10. Sol ſupra Terram quò verticalior, eò magis lucet & urit: quò collateralior, eò minus.

11. Solis gyrationes verticales dant Æſtatem, collaterales Hiemem.

12. Solis ad eandem verticalitatem reditus, facit Annum. Et ſi quid dicendum reſtat.

Diſtributio) Nulla eſt, quia ſol creatura eſt monodica, unum Individuum.

XLI. *Accidentis naturalis exemplum ſit LVMEN.* Cujus

Defin.) Lumen eſt radiorum Lucis à ſuperficie corporis opaci repercuſſio, & per vicina corpora diſperſio.

Idea) Ad Lumen igitur producendum tria requiruntur: 1. Corpus aliquod lucidum. 2. Radius ab illo ejaculatus. 3. Corpus opacum, in quod radius incidens diſſiliat, & vicina colluſtret.

Axiomata:) 1. Sine luce, nullus eſt Lucis radius.

2. Sine opaco nulla eſt Radii repercuſſio & diſſilientia.

3. Ra-

3. Radius per ſe inviſibilis eſt: tantùm in objecto corpore videtur.

(Apparet id in Radio per anguſtum foramen in tenebricoſum conclave immiſſo, ubi Radius non videtur, niſi in oppoſito pariete, in quo ſi foramen quoque fit, in quod radius incidit, prorſus non videbitur: niſi forſan corpuſcula atoma in eo volitent, aut apponas manum.)

4. Corpora opaca ſuperficie levi, aut politâ, radium tantum rejiciunt, & aliò mittunt; quæ verò aſperâ ſuperficie ſunt, eum diſſipant & disjiciunt.

(Speculum enim ſi opponas radio, totus radius aliò retorquetur, & lucis imaginem integrè eò transfert: ſi aſſerem, & quidvis minus politum, diſſilit radius, & lucis imaginem in lumen ſpargit.)

5. Quò radius lucidior, eò lumen fulgentius.

(Ideò è ſolari radio majus provenit lumen, quàm è radio Candelæ, quamvis per idem foramen immiſſo.)

6. Plus radiorum, plus luminis.

(Plu-

(Plures enim Candelæ, aut feneſtræ, plus dant luminis.)

Diſtributio.)Lumen eſt vel Naturale,à ſole & ſideribus:vel Artificiale,ab igne noſtro, & candelis; vel Mortuum,à fulgidis gemmis,piſcium quorundam ſquamis, putridis lignis, & ſimilibus,proveniens.

XLII. *VMBRÆ natura Panſophicè explicatur ſic:*

Defin.) Umbra eſt in corpore illuminato lumen minus, ab interventu corporis opaci proveniens.

Idea.) A tribus igitur corporibus conſtituitur: Uno lucido,radios luminoſos ſpargente: ſecundo Opaco,radiorum partem intercipiente; tertio itidem opaco, lumen tàm ſparſum, quàm interceptum ſuperficie ſuâ repræſentante. Tolle unum horum,umbram ſuſtuliſti.

Axiomata.) 1. Omne lucidum radiat.

2. Omne opacum lucido oppoſitum umbrat.

3. Omne opacum opaco oppoſitum umbratur.

4. Um-

4. Umbra eſt corporis intermedii umbra.

5. Umbra eſt corporis intermedii imago quædam, omnia ejus majora repræſentans.

6. Quò major lux, & corpora opaca denſiora, eò denſior umbra: & contrà.

7. Umbra ſemper in lucidi oppoſitum intendit.

8. Si corpus umbrans lucido æquale eſt, umbra æqualis ſemper protenditur in infinitum.

9. Si umbrans lucido majus eſt, Umbra creſcit in infinitum.

10. Si umbrans lucido minus eſt, umbra producta decreſcit, donec in conum deſinat & evaneſcat.

(N. Omnia hæc facilioris comprehenſionis causâ ſchematis pictis adumbrari poterunt.

Diſtrib.) Tandem differentiæ umbrarum ſi quæ ſunt, explicandæ.

XLIII. *Ex Artificialibus exemplum ſit HOROLOGIUM.*

Defin.) Horologium eſt temporis dimetiendi arte factum inſtrumentum,

tum. (Naturale enim Horologium ipſum Cœlum eſt, quod ſiderum indeſinenti rotatu tempora Mundi majora dimetitur, ſed nos minora etiam ſpatia, horaria, accuratè diſterminandi quæſivimus inſtrumenta: inventaque ſunt, trium potiſſimùm generum. Primò, quæ ex ſolis, Lunæ, ſiderumque poſitu & lumine horam indicant: quæ Sciocterica vocamus. Alia nubilo etiam cœlo, aquæ vel arenæ certâ deſtillatione; Clepſydræ, ſeu Clepſammia. Tandem quæ ſuomet motu procedunt, Automata. De omnibus in genere nunc ſermo eſt, per ſpecies eâdem facilitate poterit, qui volet.)

Idea) Horologii fundamentum eſt motus (quia & ipſum Tempus, ſeu rerum duratio, motus quidam eſt: Menſura autem & menſuratum genere conveniunt.) Tria proinde requirit omne Horologium: 1. Mobile aliquid. 2. Movens aliquod. 3. Spatia intervallis horariis deſignata.

(Occurrunt hæc æquè in Sciotericis & Clepſammiis, atque Automatis.)

Axiomata) 1. Omne Horologium motum habet. (Quia

(Quia ſine motu nulla eſſe poteſt temporis menſuratio, ut jam vidimus. Ideò carceribus profundis incluſi, ubi nec horologii, nec ſolis copia eſt, nullas horas, dies, annos, numerare poſſunt. Eſt autem motus in Scioterico, Umbræ; in Clepſammio, arenæ; in Automate, Rotarum.)

2. Omne Horologium aliquid mobile habet.
(Sciotérica Umbram, Clepſammia Arenam, Automata Rotas.)

3. Omne Horologium aliquid movens habet.
(Sciotérica Solem, qui motu ſuo umbram movet: Clepſammia Arenæ gravitatem, quæ ſeipſam deorſum premit: Automata appenſa pondera, aut chalybeam vi contortam, & ſe in libertatem reddere conantem Laminam.)

4. Omne Horologium deſignata habet horarum intervalla.
(Aliàs non eſſet Horologium, ſi horas non indicaret. Indicant ergò deſignatæ lineæ & numeri.)

5. Horum intervalla accuratè diſtincta ſunt. (Aliàs

(Aliàs enim non diſtinguerent, ſed confunderent.

Diſtrib.) Horologii ſpecies brevitatis causâ conjunxi, Scioterica, Clepſammia, Automata. Quæ tamen de ſingulis peculiariter dicenda reſtant, elicere poterit cui ea res cordi.

XLIV. *Exemplum tandem addamus ex Moralibus de MAGISTRATV. Cujus Panſophica tractatio, talis foret.*

Defin.) Magiſtratus, eſt in ſocietate humanâ quorundam legitima præeminentia, ipſam ſocietatem in ordine continendi causâ inſtituta.

Idea.) Requiſita hujus eminentię ſunt:

1. Eſſe aliquem tanto muneri idoneum, hoc eſt, poſſe, ſcire, velle, alios regere, & in ordine continere.

2. Legitimè conſtitui: (ſive electionis, ſive hæreditatis, ſive belli legitimi jure.

3. Reipsâ regere & adminiſtrare omnia, graviter, vigilanter, conſtanter. Idque iterum (1) Ordinis Leges præſcribendo, & præſcriptæ nè ignorentur providendo. (2) Ordinem & Leges quomodo ſerventur, obſervando.

(3)

(3) Leges tuendo, obſervatores earum defendendo, violatores puniendo.

Axiom.) 1. Ubicunque humana ſocietas eſt, ibi opus ſocietatis vinculo, Ordine.

2. Ubicunque ordo eſt, ibi opus ordinis vinculo, Legibus.
(ut nemo locum ſuum, & munia, ignoret.)

3. Ubicunque autem Leges, ibi & Legumlatore atque cuſtode opus, Magiſtratu.

4. Magiſtratus non committendus eſt niſi idoneis.

5. Magiſtratum gerere idoneus eſt, qui alios regere poteſt, ſcit, vult.
(Omnia iſta requiruntur, quia unum etiamſi abſit, idoneitatem *tollit*.

6. Magiſtratus non uſurpetur niſi legitimè commiſſus.
(Homines enim naturâ ſuâ omnes liberi cùm ſint, Rationis & Arbitrii privilegio donati, regi & parere nolunt, niſi liberè, ubi & quantum id ſibi & ſocietati humanæ expedire judicant. Si putant ſecùs, (ut cùm aliquem ſe in Magiſtratum intrudere vident, & poten-

potentiâ abuti velle judicant)non parent, niſi coactè. Coactio autem ubi eſt, ibi omnia violenta, ordini & diuturnitati inimica.)

7. Legitimè committitur Magiſtratus, cui à conſenſu populi, vel à natura, vel à Deo, committitur.

(Hoc eſt, aut electione legitimâ, aut hæreditate legitimâ, aut bello legitimo, quæ omnia ſuas leges & conditiones habent, hîc non tangendas.)

8. Leges populo ferre, Magiſtratûs eſt.

(ſed juſtas, & quas obſervaſſe ex Uſu publico ſit.)

9. Legum ignorantiâ ne quiſquam peccare poſſit, Magiſtratûs eſt providere.

(Ergò promulgare tenentur, tam à ſe latas, quàm antiquas divinas & humanas. Ergò & Scholas, Templa, Curias, ubi talia doceantur, erigere: erectaſque conſervare, & ut ibi omnes facienda fugiendaque diſcant, providere.

10. Ut omnia ex Legum præſcripto fiant, Magiſtratûs eſt invigilare.

 (Le-

(Leges enim ſine exſequutione, ſunt campanæ ſine piſtillo.

11. Præmiorum & pœnarum diſtributio ad Magiſtratum ſpectat.

(Multò ergò magis bella gerere.)

Diſtrib.) Magiſtratuum, ſeu ſocietatis humanæ rectorum, tot ſunt ſpecies, quot ſocietatum: Domeſtica, Politica, Eccleſiaſtica, Scholaſtica, &c.

XLV. Ex his ſpeciminibus patet, brevia, concatenata, gradata, per ſe clara, fore omnia Pànſophica. Nam ſi hæc forſan nondum alicui talia videntur, is cogitet velim, deeſſe hîc nonnihil, quod in ipſo Panſophiæ corpore deeſſe non poterit; ductus nempe ille mentis continuus, ex aliis in alia eam gradatim elevans. Nunc in iſta velut ex abrupto incidimus: reſipiuntque illa ſic carptim tradita, fruſtillationem illam ſcientiarum, contra quam ſemper proteſtamur. Sagaciores ex dato ſpecimine methodi hujus commoditatem odorari poſſe ſpero: nempe ſi Definitio rei eſſentiam exactè circumſcribat; Idea eam in principia ſua reſolvat: tum ex utroque

Axio-

Axiomata ultrò fluant:& denique Diſtributio pergendum eſſe in Rerum Analyſi moneat, omnia fore perceptu facilia, uſu autem ſolida. Cùm enim ſic omnia ex ſeipſis naſci,aliunde nihil inferri, Intellectus videt, obviat Rerum veritati cum voluptate: ut quemadmodum Res ſeipſas determinant,ita eas ille teſtimonio ſuo approbet: certus, Res,niſi id ſint quod eſſe videt,nè eſſe quidem. Hoc modo obtinetur,ut ſuâ luce luceant omnia , precariò fidem quæri aut impetrari nihil ſit opus.

XLVI. Non abs re autem fuerit addere , quas nobis leges in colligendis & condendis iſtis Rerum *Definitionibus, Ideis, Axiomatibus, & Partitionibus* , obſervandas figamus : ut ſi nobis (fato forſan præventis,aut ordinariæ vocationis laboribus prępeditis) progredi non liceat,mentem noſtram non ignorent , qui ſuccedere volent. Spero enim fore ut Chriſtus emittat alios,qui in labores noſtros introeant, & ſementem noſtram ad meſſem deducant ; ut & qui & ſeminat , & qui

metit,ſimul gaudeant,& fructum congregent in vitam æternam. (Ioh. 4. 36,37,38.

XLVII. *Communiter in omnibus iſtis*, (Definitionibus, Ideis, Axiomatibus, & Partitionibus) *hæc præſtanda ſunt:* 1. Ut omnia ſint verbis & ſenſu plana & perſpicua, commentariis quantum poteſt nullis egentia, ſolis exemplis ubi opus illuſtranda. 2. Ut ſint Veritatis ſummæ, prorſus juxta leges κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον: ut nec oppugnari, niſi ſophiſticè, poſſint; nec defendi ullis exceptionibus, diſtinctionibus, limitationibus (ſeu fictis ſeu veris) opus habeant. Quod obtinebitur, ſi opera detur, ut nè quid tribuatur niſi illi, cui ineſt primò & per ſe. Rectè enim *Amandus Polanus* (in præfatione Logicæ ſuæ) ſcribit; *Vulgares Artium regulas ideò habere tot exceptiones, quia contra legem* καθόλου πρῶτον *ſpecialia traduntur generaliter. Obſervetur igitur* (inquit) *quæ res conſentiant, quæ diſſentiant: & conſentientes ſub unum genus referantur, diſſentientes ſub aliud: ita nulla erit exceptio,*

ſed

ſed omnia diſtributionibus legitimè cõprehendentur. Contrà verò Diſtinctionum & Limitationum neceſſitatem, bonum remedium erit, nihil ambiguum & homonymum uſurpari, ſed omnes diſtinctas Res diſtinctis exprimi Verbis, in ipſa jam Rerum analyſi, ut ne quid determinandum commentario demum relinquatur. Ita fiet, ut quemadmodum collecta colligi, ordinata ordinari, opus non habent; ita nec diſtincta diſtingui, & limitata limitari, opus habeant. 3. attendatur ut media Rerum centra reperiantur, & exprimantur, quô contradicendi occaſiones diſpareant. Lites enim pleræque ex eo naſcuntur, quòd nimis ad extrema, hinc & illinc, exorbitare ſolent, qui Rerum circa ſua centra æquilibrium non rectè penſitant, Ex. gr. In libro Iob acerrimè diſputatur, *Calamitates vitæ pioſné an impios premant?* Prius Job, poſterius amici ejus, propugnabant. Sed experientia docet (quemadmodum experientiâ doctus Salomon teſtatur Eccleſ. 9. 1.) neutrum ſimpliciter verum eſſe, quia

utrumque evenire videmus. Ergò calamitoſa ſors definienda erit (ſuo loco) ſic; ut Definitio litem illam non ſovendi, ſed tollendi, vim habeat. Ex. gr. ſi eam ſic definias: *Calamitates vitæ hujus ſunt divinæ providentiæ inſtrumentum, ad bonos probandum, malos verò puniendum.* Quis enim jam dubitet, quomodo lis illa decidenda ſit? præſertim cùm acceſſerit vera Idea; & Axiomata cum Partitione. Simulque patet, quô locus ille (de Ærumnis vitæ) referendus ſit? nempe ad Providentiæ doctrinam.

XLVIII. Sigillatim verò *Definitiones volumus eſſe tales, ut ex illis tam Axiomata, quàm Ideæ & Partitiones facilè eliciantur*, & quaſi ultrò fluant. Item: ut probationes quarumvis aſſertionum per ipſas Definitiones Rerum in aſſertione enunciatarum, deduci poſſint: quô reipſa pateat verum eſſe illud Philoſophi, *Definitionem ſi perfecta ſit, aut perfectæ proxima, finem imponere controverſiis: ut non abs re vocari poſſit Iudex controverſiarum.* Prioris exemplum in Entis definitione

ſit,

ſit, quæ nobis talis eſt, *Ens eſt, quicquid eſt, dicitur, aut cogitatur.*

(NB. Declarationis gratiâ ſequentia ſubjungantur. Ut à Præſum præſens, Abſum abſens, Potis ſum potens: ſic à Sum Ens. Eſt ergò Ens, quidquid eſt. Additur tamen, & quidquid dicitur aut cogitatur: quia dici & cogitari ſolent etiam quæ non ſunt: ut Cerberus, Pegaſus, Polyphemus, Monoculus, &c. Qualia tametſi in ſeipſis nihil ſint: quia tamen dum cogitantur, aut dicuntur, & ſcribuntur, occupant mentem, linguam, manum, chartam, eô ipſo jam aliquid ſunt, & non ſunt prorſus nihil. Entibus proinde annumerantur.

Idea.) Tria igitur propria ſunt Enti, 1. Eſſe. 2. Poſſe cogitari. 3. Poſſe dici.

Axiomata) 1. Quicquid eſt, eſt (Seu verè, ſeu fictè, ſeu in ſe, ſeu in imaginatione. Quomodo eſt, ita eſt.)

2. Quicquid eſt, de eo aliquid cogitari poteſt.

3. Quicquid eſt, de eo aliquid dici poteſt. (Nam & cùm aliquid imper-

ſcrutabile & ineffabile eſſe dicis , jam de eo aliquid dicis, aliquid cogitas.) *Partitio.*) Ens proinde triplex eſt; Reale, Notionale, Verbale; ſive Res, Conceptus, Verbum. (Res ſunt quiddam in ſe extra mentem ; Notiones ſunt Rerum in mente imagines : Verba ſunt notionum mentis ad alterius mentem vehicula, &c.)

XLIX. Poſterioris exemplum ſit cæci illius apud Euangeliſtam effatum: *Deus peccatores non audit.* Hoc an ſit verum, judicandum erit ex definitionibus DEI, PECCATORIS, AUDITIONIS, ſi veræ erunt, commodiſſimè. Nam quia (1) Deus eſt ens entium, hoc eſt, maximè Ens, & conſequenter maximè unus, verus, bonus, id eſt, ſanctus. (2) Peccatum verò eſt à bono & ſancto averſio. (3) Audire autem (hoc loco eſt) exaudire, hoc eſt, gratè aliquem admittere, & voluntatem ejus implere ; quomodo ſanctiſſimus zeloſiſſimuſque Deus eos , qui ſe ab illo avertunt (quamdiu tales) amet & promoveat?

L. *Patet ergò Definitionum ingentem*

tem eſſe uſum, ſi tales ſint, quales requirit hæc Methodus : ſerióque adnitendum, ut tales habeamus, quamvis eas conſtruere magni res laboris & ingenii ſit. Verè enim *Vives* (in libro de explanatione Eſſentiarum, poſtquam docuiſſet definitionem bonam eſſe quæ brevis, clara, reciproca) ſcribit, *Definiendi munus magni & excellentis Viri eſſe, qui non ſolùm univerſam rei quam definiturus naturam explorârit, ſed & alia omnia circa eam (ſi rectè limitari debent) non ignoret : aliâs confundi & confundere proclive eſſe. Errorem autem, quamvis exiguum in definiendo, brevi ingentem fieri, &c.* Quomodo tamen magnum hoc & difficile munus (res accuratè definiendi) facilitari aliquantùm poſſit, addam obſervatiunculam unam & alteram. Primò fixum ſit, Definitionem genere proximo & differentiâ ſpecificâ conſtare. Secundò, ut non negem Definitionem optimam eſſe, quæ genus & differentiam ſingulis vocibus exprimat : Qualis eſt illa: *Flamma eſt fumus ardens:*) ita non ſuperſtitiosè fugiendam

eſſe vocum pluralitatem ſtatuo, quoties ſensûs evidentiæ & plenitudini melius conſuli poteſt. Ideoque noſtræ illæ, paulò antè poſitæ, verboſiores ſunt. Tertiò, Differentiam quoties à forma haberi non poteſt, (has enim quandoque ignorari, præſertim in naturalibus, juxta cum aliis fatemur) à Fine eſſe ſumendam: ut ex Ariſtotele ipſo colligit, & exemplo Equi oſtendit Bellarinus (Praxi Art. lib. 3. Diſt. 2. Num. 5.) Cujus finis cùm ex effectibus, & uſu, deprehendatur eſſe, ut homini ſerviat in transferendo illo, aut rebus ejus de loco in locum, velociter & commodè: (hæc duo abjicit, ut ab aliis animalibus, quæ ſimilem præſtant uſum, diſcriminet: Nam & *Bos* atque Aſinus transferunt, ſed non velociter; item Camelus, ſed non æquè commodè: *)* conficit inde talem definitionem. Equus eſt animal ad transferendum hominem de loco in locum velociter & commodè ordinatum. Quartò, videtur tamen quandoque formali differentiæ addi poſſe finalem aut efficientem rei proximam,

ideò

ideò ut Eſſentia rei pleniùs exprimatur, & ſe faciliùs in ſua principia (ſequenti Ideâ) reſolvat. Eo fine nos in definitione *Solis & Magiſtratûs*, finalem; in definitione verò *Vmbræ* efficientem adjecimus: in *Horologii* item definitione, differentiam à fine & efficiente deſumtam poſuimus. Quod ſi non placuerit, accuratiùs elaborandæ erunt, ut omninò ſtrictæ ſint. Sed prædico, obſcuri fiemus, ſi nimis breves eſſe volemus: quem ſcopulum ego præcipuè fugio, & fugiendum ſuadeo.

LI. *Nec minus ſolicitè conſtituendæ ſunt Rerum Ideæ:* quia earundem non minor eſt ad veram, plenam, diſtinctam Rerum cognitionem, uſus. Quanquam enim Definitio ipſa totam Rei eſſentiam comprehendat; quia tamen id nonniſi involutè, Rerumque complicationes tam variæ ſunt, ut imperiti eſſentialia ab acceſſoriis diſtinguere neſcientes, ſæpè id, in quo nihil ſitum eſt, arripiant, fundamentalia verò omittant, errore aliorum errorum fecundiſſimo; eſſentialia in omni re certò tenere, pulcherrimum mentis

lumen erit. Prorſus quod Horatius de neceſſitate præcognitionis Rerum ad Eloquentiam pronunciavit;

Rem bene præviſam Verba haud invita ſequentur.

hoc idem de Idearum præcognitione ad productionem Rerum dici poteſt,

Ideam bene præviſam Res ritè ſequuntur.

Sed invenire Ideas Rerum veras, non minoris artis eſt, quàm Res definire verè: aliquid proinde, quâ ratione veſtigandæ ſint, monebimus.

LII. Omnia quæ fiunt, & ſunt, ad Ideas fieri, & facta eſſe, neceſſum eſt. Niſi enim aliquid in Idea prius eſſet, (hoc eſt, rationem aliquam, ſeu formam haberet, per quam fieri & eſſe poſſet) ne eſſet quidem. Sunt autem Ideæ Rerum triplices: Artificiales, Naturales, Divinæ. Artificiales ſunt ectypus quidam, ſeu imitamenta naturalium: Naturales, Divinarum: Divinæ, à ſemetipſis ſunt, archetypus verus omnium, quæ rectè fiunt. Quæ tamen, quia in æternitate abſconditæ ſunt, nec nobis niſi quatenus in Rebus natura-

tura-

turalibus expreſſæ ſunt, patent : Naturalia nobis ſcrutanda ſunt vel maximè, tam ſui causâ, ut Naturæ aſſequamur Artificium : quàm ſubſequentium artificialium causâ, ut eorum intelligamus fundamenta : & denique præcedentium divinarum gratiâ, ut in abdita illa quoque tutius, quantum divinorum ratio permittit, penetremus.

LIII. Sunt autem Naturalia omnia ad eaſdem Ideas facta, quia ab eodem Opifice. Qui quia unus, unum ſervavit in omnibus ordinē; & quia optimus, optimum ; & quia verus, verè, & non imaginariè. Verè igitur cum Rebus inſit ordo, verè inveniri poteſt, ſi veris quæratur viis. Veræ autem viæ ſunt, non quas ſibi fingit, & Rebus affingit, volubilis nimium, & in errores pronus Intellectus noſter, ſed quas oſtendunt Res ipſæ, proceſſu ſuo. Ex actionibus enim & paſſionibus Rerum qualitates, & ex qualitatibus eſſentia, ex omnibus autem illis eſſentialia requiſita, cognoſcenda veniunt. Has Rerum vias ſi ſequuti fuerimus, & impreſſos Rebus indelebiles obſervaverimus characteres,

reperiemus miram Rerum harmoniam; ad ſimilitudinem quandam Entis primi. Deprehendemus enim omnia reperiri in Ente infimo, quæ in ſummo: ſed gradu infimo, qualis eſſe in Rerum rudimentis ſolet, involutè: ut ſpecialior, ſemperque perfectior Creaturarum diductio, nihil ſit niſi major & perfectior eorum quæ ſunt intus, ad extra explicatio: quod Metaphyſica noſtra palàm faciet. Omnes igitur Creaturæ, ad minimos uſque pulviſculos, noſtri hic Magiſtri & Doctores ſunt, ſi quæ ab illis & de illis fiunt, non brutis oculis, ſed rationabili & attentâ conſideratione intueamur.

LIV. Ex. gr. *Vt Rerum Ideæ perfectè inveniantur, ſic procedendum puto:* 1. Quæcunque requiſita verè eſſentialia occurrunt in omnibus rei alicujus ſpeciebus, eorundem Idea generalis ponenda eſt ſub ipſo earundem ſpecierum genere. Ex. gr. Quia in omni particulari motu tres terminos video, Unde, Quâ, Quô: quidnî hæc eſſe generalia omnis motûs requiſita ſtatuam? Quidnî & eadem hæc

in

in omni Ente quæram? Certè omne Ens alicunde eſt: hoc eſt, originem aliquam habet. Et aliquâ procedit, hoc eſt, formam aliquam habet, per quam aliquô, hoc eſt, ad finem ſuum fertur.

2. Quæcunque requiſita deprehenduntur in Idea Rerum generali, eadem quærenda ſunt in quavis ſub iſto genere poſitâ ſpecie. Aut enim invenientur eadem omnia (quamvis ſub alia, id eſt, ſpeciali formâ & nomine: ut profectio Chriſti, Marc. 7. 31. deſcribitur per tria iſta, à Tyro, in Galilæam, per Decapolin:) aut erit argumento Ideam generalem non exactè eſſe factam; quod eam emendandi occaſionem dabit: aut denique patebit non eſſe veram ſpeciem iſtius generis, quod partitioni rectificandæ ſerviet.

3. Quæcunque inſunt uni ſpeciei, quæratur iis analogum aliquid in ſpecie oppoſita. Neceſſariò enim ineſt, tametſi diverſâ aliquâ ratione, quam infert differentia illa, quæ novam illam ſpeciem conſtituit. Ita dum examino quæ ad modum Quadrupedum requirantur, & iis aliquid analogum

in

in motu Reptilium, Volatilium, Natatilium, quæro, utiliſſima ut inveniam, & quæ Rebus verè inſunt, neceſſe eſt.

LV. *Quantum ad Axiomata, quia præcipuum Veritatis robur in illis conſiſtere nemo eruditorum ignorat*, nemo etiam negabit exquiſitam eſſe illis per omnia rectè conſtituendis (hoc eſt, colligendis, ordinandis, & ad immotum uſque robur ſolidandis) *dandam* operam. Sunt enim revera, quod dicuntur, ratiocinandi normæ, omnium ratiocinatione vera collectarum & colligendarum concluſionum principia. Quorum major eſt numerus, & ordo concinnior, & ad invictam Rerum Veritatem tum inquirendam & inveniendam, tum ab errore liberandam, & defendendam vis potentior, quàm adhuc vulgò intelligunt. Cùm ergò hactenus nec collectæ ſint, nec in ordinem redactæ) ſparſim tantùm ex hominum cogitationibus, Doctrinis, diſcurſibus, actionibuſque promicant:) nec illis inſiſtere ſatis nôrint homines, ideoque opinionum & ſophiſmatum quovis vento abripi ſe patiantur;

tur;

tur: interim verò in illis tum ſapientiæ Dei univerſalis arcana, tum univerſalis noſtri luminis ſcintillæ ac fomites, & denique univerſalis inter omnes & omnia conciliandæ concordiæ & pacis conditiones & vincula, præcipuè lateant: operæ pretium eſt improbo etiam labore has eruere, & in eutaxiam ſuam componere, ut ad omnem uſum in promtu ſint.

LVI. Sed cavendum ſummoperè, ne pro Axiomate admittatur, quod tale non ſit: Enunciationes ſcilicet ex parte tantùm, non de omni, non ubique, non ſemper, non per ſe, non reciprocè, veras. Cujuſmodi ſunt non ſolùm pleraque vulgi diverbia, vel etiam Sapientum quædam gnomæ, & apophthegmata, ſed & vulgaris Philoſophiæ (utinam non Theologiæ!) Canones & Regulæ: quas ſic ponunt, ut mox excipiendo, diſtinguendo, limitando, neſcio defendere an prodere, certè doctrinam ſuam labefactare, neceſſe habeant. Quorſum autem Regula, quæ aliâ eget regulâ? & à qua ſemper nè fallat metuendum eſt? Panſophia

ſophia ergò continet Axiomata verè axiomata, hoc eſt, fide digna (id enim vox ſonat) & regulas jam regulatas, non regulandas demum.

LVII. Unde verò ſumenda ejuſmodi Axiomata? Libris enim vulgaribus fidendum non eſſe, diximus? nec aliquis eis colligendis, & ab admiſſa illuvie depurandis, dignam adhuc navavit operam. Excepto illuſtri & magnanimo in edomandis *opinionum* monſtris heroe, Barone Herberto: cui Communium Notitiarum ſyntagma concinnatum eſſe, ex ejuſdem de Veritate Libro (pag. 63. & 154.) intelligimus. Quod tamen ſcriptum, quia hactenus luci negatur; quid obſtat, quò minus & nos rem aggredi tentemus, & quomodo pertexendas exiſtimemus, cogitationes noſtras detegamus?

LVIII. Colliguntur autem optimè Axiomata è Rebus ipſis, per legitimam non aberrantem ratiocinationem humanam, magis verò Divinam, quatenus in Verbo Dei expreſſas habemus. Quidquid enim aliquis cogitat, loquitur, ſcribit, argumentatur,

pro-

probat vel reprobat, accuſat vel excuſat, ſuadet vel diſſuadet, hortatur vel obteſtatur, promittit vel minatur, &c. Semper & ubique occurrunt quædam prçſuppoſita, quibus tanquã baſi ratiocinatio ipſa innititur. Planè enim quẽadmodum quicquid movetur, circa immobile aliquid movetur; ita quicquid ratiocinatione infertur, vi alicujus immotæ Veritatis infertur: quod exemplis pateat. Si quis famulo ob admiſſum damnum fuſtem intentat, & ille exclamat, *Non lubens feci:* ecce ratiocinatio utrinque ex præſuppoſitis! Herus enim præſupponit Axioma: *Damnum dans obnoxius eſt pœnæ*: Tu dediſti damnum. Ergò. Famulus contrà: *Innocens non eſt obnoxius pœnæ.* Ego ſum innocens. Ergò. Et majori ſuæ ſubſternit tacitè aliud, tanquam notum, hoc: *Noxa eſt voluntaria.* Factum meum non eſt voluntarium. Ergò non eſt noxa, &c. Talia ecce in omnium hominum, etiam ſtolidiſſimorum, dictis & factis occurrunt, tanquam concreatæ homini ſapientiæ reliqua veſtigia, & indelebiles (quanquam ſtul-

titiæ cœno variè commaculati) chara-cteres: ut pateat verum eſſe quod Syracides dixit, *Æterna in hominibus fundamenta poſuiſſe Sapientiam* (Eccl. 1.14.) Tales igitur communes notitiæ ex omnium hominum, etiam ſimpliciſſimorum & ſtultiſſimorum, ſermonibus & factis colligi poſſunt: modo ab admiſta ſtoliditatum illuvie prudenter ſeparentur. Cui rei operam dare, plus eſſet, quàm è ſtercore aurum ſeligere.

LIX. Ex divinis autem Oraculis Axiomata colligere, id verò eſt ex auro colligere Gemmas; pretioſiſſimus enim ibi Sapientiæ veræ latet theſaurus. Ex. gr. Cùm Exodi 22.1. lego, mandare Deum, ut Fur *quod abſtulit* reſtituat, colligo axioma: *Ablatum injuſtè, reſtituendum eſt.* Item: *Quod reſtituitur, reſtituendum eſt illi cui ablatum eſt.* Quia verò Deus pro Bove uno, reſtitui mandat quinque boves; & pro Ove una quatuor, condo axioma: *Qui plus mali audet, plus puniendus eſt.* (Plus enim eſt Bos, quàm Ovis: ergò qui majus damnum proximo in-

intentat, magis iniquitatem luat.) Rurſum, quia ibidem verſ. 4. dicitur: ſi quod furatus eſt inventum fuerit apud ipſum, duplum reſtituat; colligo inde axioma: *Peccatum recens levius puniendum eſt, inveteratum ſeveriùs.* Ratio eſt, (addere enim Rationis etiam teſtimonia divinis factis & dictis nihil vetat, cùm Deus ratio rationum ſit, dictiſque & factis ejus ratio ſemper ſubſit, licet hanc diſertè non ubique exprimat) quia primi motus non ſemper ſunt in poteſtate noſtra, admitti poteſt quidvis incogitantiâ. Sed qui diu peccat, magis peccat, deliberandi & recolligendi ſe ſpatia habens, nec reſipiſcens tamen. Ibidem (verſ. 3.) lego: Si non habuerit quod pro furto reddat, ipſe venundabitur: facilè inde colligo Juridicum illud, *Qui non habet in ære, luat in corpore,* divinæ legis vim habere. Cùm ibidem verſ. 2. & 3.) lego, furem noctu impunè occidi poſſe, non item interdiu: quia prehendi poteſt & ſiſti judicio, aut certè agnoſci & accuſari; emergunt inde axiomata: 1. *Sanguini humano, quantum poteſt, par-*

parcendum. 2. Vindicta privata illicita eſt. 3. Doloſi prætextus cavendi, &c.

LX. Legatur ergò ex ordine Scriptura Sacra, accuratè & diligenter, conſideratâque omnium dictorum & factorum Dei, quatenus tales) ratione (quæ utique ſubeſt ubique, eò purior & ſolidior, quò major eſt Sapientia Dei, quàm hominum) extrahantur ejuſmodi Rerum & Conceptuum normæ, ſive ratiocinandi principia, cum ſubjectis mox (exemplorum loco) illis ipſis Scripturæ locis: quô Panſophiæ liber verè ſit clavis tam in Res, quàm in Scripturam ſacram. Deinde alii ſapienter ſcripti libri eundem præſtabunt uſum; ut quidquid nervosè & acutè dictum & factum *obſervari* potest, in axioma redigatur.

LXI. *Secundus campus Axiomata venandi* (quanquam forſan ordine prior) *ſunt Res ipſæ*, earumque rationabiliter ſpectatus proceſſus, ſi quo mirabili ordine, & quâ vi hoc vel illud fiat, attendamus. Quicquid enim in particularibus quibuſcunque fit, certum eſt omnibus illis generalem aliquam

quam vim & formam, finemque ſubjacere. Ex.gr.quod in Animalibus videmus conſervandi ſui ſtudium, illudque ſimilium appetitu, contrariorum fugâ, alimentorum uſum, propagandi ſui ſtudio,&c. exſeri: cogitandum eſt illa omnia à ſuperiore aliqua vi provenire, quæ creaturis inferioribus etiam, licet inferiore gradu, inſit, obſcuriuſque ſe exſerat. Inde ergò axioma ſupremum Metaphyſicum colligo: *Quicquid eſt, eſſe gaudet*. Seu: *Quicquid* eſt, in ſuo eſſe, quamdiu poteſt, ſe tuetur. Atque hâc viâ ex omnibus particularibus (Naturalibus, Artificialibus, Moralibus, Politicis, Theologicis, modò ſolidè vera ſint) axiomatibus, elicere poſſumus univerſalia Metaphyſica: ad quas veluti communes normas, quadrent omnia, quæ fiunt, ubicunque fiunt.

LXII. Vice autem versâ nonnulla particularia Axiomata (circa materias Phyſicas, Artifitiales, Morales, Spiritualeſque) inveniri poſſunt è generalibus Metaphyſicis: ſi reducto particulari illo Themate ad ſuum tranſcendens genus,

genus, generalia illius (Subſtantiæ, Accidentis, Qualitatis, &c.) Axiomata luſtres, & ad ſpecialitatem applices. Suppeditantur enim omninò hæc & illa pulchra, quæ forſan ſine hoc generalium ductu in mentem non veniſſent.

LXIII. *Trinâ hâc viâ diligenter ſi incedamus, habituros nos Axiomatum meſſem ingentem,* ſolidæ ſcilicet ſapientiæ apparatum prægrandem, *dubitandum non eſt.* Quæ ſi ſententiosè verbis ſelectis (æquè ut Definitiones & Ideæ) concepta, ordine debito (ſecundùm Rerum analyſin) digerantur, habebitur quod quæritur. Fiet enim Dei ope, ut omnia citò, perſpicuè, fundamentaliter, doceri queant: *quia* DEFINITIONES brevitate ſuà MEMORIÆ, IDEÆ explicatis eſſentiæ rationibus INTELLECTUS, AXIOMATA ſoliditate ſuâ CERTITUDINI & USUI, egregiè ſervient. Nempe *Res analyſando & definiendo totum Vniverſum brevi pertranſire licet. Ideas Rerum eviſcerando, Rerum intima intueri licet: Axiomata probè intelligendo, ſcientia*

ſecu-

ſecurum eſſe licet. Ita unâ perpetuâ methodo omnia addiſcentur, tautologiæ omnes evitabuntur, diſcordandi cauſæ præcidentur, judicium cujuſvis hæc pertranſeuntis ad alia ex aliis pulcherrimè obſervanda acuetur: & quod maximum eſt, *ARS CONVINCENDI* IN PROMTU habebitur.

LXIV. Per *convincendi artem* intelligo METHODUM APODICTICAM: *quâ omne Verum omni humano Intellectui tantâ evidentiâ præſentetur, ut aſſenſum negare nemo ſanæ mentis poſſit: aut ſi neget, is ei vel invito & reluctanti, ipſâ ineluctabilis Veritatis vi, extorqueatur.* Qualiter Mathematici ſua demonſtrare nôrunt, nos autem ad omnia extendi optamus & allaboramus. Cujus rei modus infallibilis ſi fuerit repertus, meritò id inter præcipua Dei dona, principaleſque Panſophiæ fructus, numerandum veniat. Poſſent enim jam omnes doceri Veritatem, dedoceri errores, eâ claritudine & certitudine, ut nemo non intelligere, nemo quicquam ſic demonſtratum in dubium trahere, poſſit.

Luce nimirum ſuâ potenter ſenſibus ſe imprimente Rerum Veritate.

LXV. Scimus non deeſſe qui vehementer dubitent, Mathematicam illam demonſtrandi certitudinem & evidentiam ad alia transferri poſſe. Sed nec deſunt, qui nobiſcum contra iſtos faciant. Alſtedius (Encyclop. lib.1.c. 4.ita loquitur: *Arrogant quidem ſibi hanc laudem Mathematici, quòd habeant nobiliſſimas demonſtrationes. Sed non ita eſt, cùm principia Metaphyſica ſint prima, ſeu independentia. Cum independentia autem principiorum conjuncta eſt Rerum nobilitas maxima, & ſumma ex natura Rei perſpicuitas.* Item lib.4.c.12. *Demonſtrationes Metaphyſicæ ſunt omnium certiſſimæ, firmiſſimæ, & evidentiſſimæ.* Libro autem 13.cap. 1. *Phyſicum verſari circa* Res *ſcientificas docet.* Bellarinus verò *Moralia etiam ſcientificæ Methodo ſubjicit.* (Praxi ſcient lib.1.diſt.3. N.8. Verumenimverò non authoritatibus, ſed invictis rationibus evincendum nobis eſt, Methodum apodicticam ad omnia extendi poſſe ac debere. In quo tanquam

quam re magni prorſus momenti, aliquantillum operæ nos ponere nè pigeat.

LXVI. Diſputabant olim Pyrrhonii Philoſophi, Sceptici dicti, omnia in utramque partem diſputabilia eſſe: etiam hanc ipſam quæſtionem, An omnia in utramque partem diſputari poſſent? evidentiſſimè ſic aſſertionis ſuæ veritatem demonſtrari poſſe rati, ſi ipſam quoque hanc aſſertionem ſuam dubitationi involverent: joco an ſeriò iſta luſerint, noſtrâ non refert; nobis tamen rem ſeriam ſeriò urgentibus, & pro lubricis diſputationibus neceſſarias Demonſtrationes induci debere ac poſſe aſſeverantibus, illorum ab exemplo neceſſitas quædam imponitur, hanc ipſam aſſeverationem ſic demonſtrandi, ut obniti nemo queat. Id igitur in honorem ſemper invictæ Veritatis, æternique veritatis præſidis Dei, jam aggredimur, *Mathematicâ certitudine demonſtraturi hæc tria,*

1. *Omne Verum naturâ ſuâ demonſtrabile eſſe.*

2. *Omne Panſophicum vi Methodi demonſtrabile eſſe.*

 3. *Hoc*

3. *Hoc Methodi myſterium in Veritatis accuratâ Gradatione conſiſtere.*

LXVII. Primum demonſtratur *apodictico hoc Syllogiſmo:*

Quicquid habet veras, proximas & immediatas Cauſas, Effecta, proprietates, illud verè demonſtrabile eſt.

At omne Verum, veras, proximas & immediatas Cauſas, Effecta, & proprietates habet.

Ergò omne Verum verè demonſtrabile eſt.

Major propoſitio neceſſariò eſt vera; quia firmiſſimæ demonſtrationes à proximis cauſis & effectis, proprietatibuſque Eſſentialibus, deſumuntur: nec aliud Logicorum quiſquam unquam requiſivit, aut requirere poteſt.

Minor itidem certa eſt: quia ſi quid non habet cauſas, actiones, paſſiones, proprietates veras, illud nè eſt quidem verè, id eſt, non eſt verum. Ergò quicquid verum eſt, veras ut habeat cauſas, & proprietates, & effecta (ſive illa nobis jam nota ſint, ſive nondum) neceſſum eſt. Secundùm hanc rationem ſolum Falſum indemonſtrabile eſt; quia

quia cùm verè non ſit, quod eſſe dicitur, aut putatur, neque veras habet cauſas, proprietates, effecta, per quæ demonſtrari poſſit. Semper itaque in ſuſpenſo manet, nebulæ inſtar, nihil ſolidi, quà prehendi & teneri poſſit habens, & fuco tantum quodam Veritatis (qui detergi metuens preſſius tangi non vult)incautorum oculos faſcinans. Ergò nè ulla in re faſcinemur, nihil omnium quæ docentur ſine rigidiſſimo hoc apodictico examine dimittitur:ut fucus ſi quis ſubeſt evaneſcat, Veritas autem (quæ Auri naturam habet, nec aquâ nec igne corrumpi valentis) niteſcat, & ſolidetur magis.

LXVIII. Secundum ſic demonſtro: *Vbi dantur omnia vera Demonſtrationis requiſita, ibi datur demonſtrandi poſſibilitas.*

At in Panſophicè tractato themate dantur,&c. Ergò.

Aſſumtum probatur; quia omne Panſophicè tractatum thema, habet *Propoſitiones demonſtrationem conſtituentes,* veras κατὰ παντὸς, κατ' αὐτὸ,

 καθό-

καθόλυ πρῶτον: *Definitiones* puta, *Hypotheſes, Theoremata*, & *Problemata*. Quicquid enim Panſophicè tractandum occurrit, id mox ante omnia, *definitur:* Tum exſtruitur *Idea:* quæ veluti *Hypotheſis* eſt, (non ficta tamen, ſed realis) ex quâ conceſsâ omnibus circa illud ſubjectum quæſitis ſatisfieri queat, Aut veluti *Problema*, quod fieri aliquid poſſe pronunciat, ſi detur hoc & illud; eſſentialia ſcilicet requiſita Rei. *Axiomata* tandem quid ſunt niſi *Theoremata*, affectionem aliquam veram & neceſſariam de Subjecto enunciantia? tam evidentis Veritatis, ut veluti mera principia, per ſe nota, ſint. Ex bono igitur bonarum Definitionum, Hypotheſium, Theorematum & Problematum apparatu, quidnî bonas demonſtrationes nectere liceat?

LXIX. Tertium quod demonſtrandum propoſui, *Methodi Demonſtrativæ vim in accurata Gradatione conſiſtere*) ut mathematicâ certitudine & evidentiâ demonſtrem, tria mechanica mihi *concedi poſtulo*.

1. *Dato faſtigio, & datis hominibus,* *qui*

qui ad illud ſummis viribus contendant, neque tamen enitantur, medium illis certum certò deeſſe, Gradus nempe rectè ſtructos.

2. *Datis gradibus rectè ſtructis, ad quamvis altitudinem aſcendi poſſe.*

3. *Dato inter quamvis altitudinem, & baſin ejus, medio firmo, uno vel pluribus, Gradus exſtrui poſſe.*

Hæc, inquam, concedi mihi poſtulo, tanquam evidenter vera. Si quis tamen moroſus hæc etiam gratis concedere nolit, ea ipſe (demonſtrationis meæ fundamenta natura) demonſtro.

LXX. Eſto *Turris* altitudine cubitorum quinquaginta: cujus faſtigium ſint qui admodum cupiant conſcendere, ideoque obambulent, circumſpectent, omnia attentent, intus & extrà, fruſtra tamen: quid erit cauſæ? Dico: Requiſiti alicujus defectus. Requiſita autem Efficientis ad Effectum producendum ſunt (ut Panſophia ſuo loco docet ac demonſtrat) *Poſſe, Scire, Velle:* negato vel uno horum, Effectus non procedit. Aut igitur illi Turrim conſcendere nolunt, aut neſciunt, aut

non poſſunt. At non nolunt; volunt e-
nim, & id ambiunt. Neq; neſciunt; ſci-
unt n. pedibus uti, ut ambulatio oſten-
dit. E. non poſſunt. Nō poſſunt autem,
vel quia vires deſunt, vel quia prohibē-
tur, vel quia inſtrumentum deeſt, (illa
enim tria operum eſſe impedimenta
Panſophia deprehendit.) At non de-
ſunt Vires, id eſt, valetudo & robur:
quod ex ambulatione & niſu patet.
Nec prohibentur à quoqam, *interdi-
cto aut vi.* Ergò inſtrumentum, quô
ad ſublimia ſcanditur, deeſt: *Scala* pu-
ta, aut *Gradus*. Quia enim nullius ho-
minis pedes (è loco in locum ſe pro-
movendi à natura datum inſtrumen-
tum) bicubitalem longitudinem exce-
dunt, neque gradiendo *divaricari ultrà*
id poſſunt: nemo etiam ſe ultrà duo-
rum cubitorum diſtantiam, ſine me-
dii alicujus ope, promovere poteſt.
Cùm ergò Turris illius altitudo ſit cu-
bitorum 50; obambulantium verò pe-
des nonniſi cubitorum duorum, aut
infrà: evidens eſt aſcendi non poſſe, ſi-
ne intermediis gradibus. Et quia non
aſcenditur, tale inſtrumentum (GRA-
DUS

DUS aut SCALAM) illis deeſſe. Quod demonſtrandum fuit.

LXXI. Exſtruantur autem Gradus, & firmentur probè, & communiantur loricis, ne præcipitii ſit metus: & adſint qui aſcendere velint, poſſint, ſciant (nempe è gradu proximo in proximum ſe elevando, ſine ſaltu) effectus procedet; quamvis altitudo millies major ſit, impoſſibile aliter. Demonſtrabo tamen id Apodictico hoc Sorite:

1. *Quicunque pedes rectè ſe habentes habet, is ire poteſt.*

(Dato enim efficiente primario, & inſtrumento, effectus ſequi poteſt. Pedes autem itionis inſtrumentum ſunt.)

2. *Quicunque it, is pedes alternis promovet.*

(Niſi enim promoveret, non iret, ſed ſtaret: nec promotio illa fieri poteſt, ſine alterno pedum tranſpoſitu.)

3. *Qui pedes alternis promovet, is graditur.*

4. *Qui graditur, is porrò aut retrò, ſurſum & deorſum, tendit.*

(Nam & progredi vel regredi, &

aſcendere vel deſcendere, gradi eſt. Et ut greſſio in plano *Greſſus*; ita greſſio ſurſum aut deorſum, *Gradus* dicitur.

5. *Qui ſurſum graditur, is per gradus aſcendit.*

6. *Qui per gradus aſcendit, aſcendere poteſt quousque gradus eunt.*


7. *Ergò quicunque pedes habet, ire poteſt quocunque Gradus eunt.*

Quod demonſtrandum erat.

LXXII. Poſſe autem *Gradus* ad quamvis altitudinem exſtrui, ſi medium baſin faſtigio jungens firmum detur, palàm eſt. Ad nubes enim è terra gradus ſtrui non aliud prohibet, quàm quod interjectum medium, Aër aut aſcendens eò Fumus, nimis debilis conſiſtentiæ ſint, cavationem non recipientes, nec oneri ferendo pares. At ſi mons, aut rupes, aut turris, eò ſublimitatis aſcendat, nihil prohibet exſtrui, vel aſtrui, Gradus, per quos eò uſque homo etiam veniat. Quia ſive ligneos, ſive lapideos conſtruere placet, non deſunt inſtrumenta (ferrea) quibus exaſciari queant: modò laborem & prudentiam adhibere nè pigeat.

geat. Nempe ut *Gradus* (1) *ab imo incipiant*, (2) *& continuentur ad ſummum*, (3) *idque cohærenter & ſine hiatu ullo, ut ubi alter deſinit, alter incipiat*. (4) *Et attemperati ſint ſtaturæ eorum, quibus parantur*. (Pro puerili quippe adſcenſu minutulis graduum intervallis opus eſt, pro virili diſtantiora eſſe poſſunt.) (5) *Denique ſi ſcala una continua altitudini attingendæ non ſufficit, fiant plures, donec attingatur*. Ut ſi erigendæ intra Turrim 50. cubitorum ſcalæ, ligna æqualis longitudinis non dentur, fiant ſcalæ fractæ, à contignatione una ad aliam. Ex. gr. ſumantur trabes cubitorum denorum, & ex illis conficiantur ſcalæ Graduum quinque, ſingulæ ſingulis contignationibus adaptandæ hoc modo: (*vid.pag.ſeq.*) Dato igitur inter baſin & faſtigium medio firmo, Gradus exſtrui poſſunt. Quod oſtendendum fuit.

LXXIII. Jam ut Demonſtrationis Geometricæ ad materiam Didacticam applicatio ritè fiat, dico, *DOCERE, nihil eſſe aliud quàm intellectum in rem cognoſcendam ducere*; (*DISCE-*



RE *autem, Intellectu à notis ad ignota duci.* Omninò igitur iiſdem requiſitis abſolvuntur. Ut enim in *ductu* tria con-

concurrunt, *Ductor, Ductus, & Ductio ipſa*; & in hac rurſum termini, *Vnde, Quô, Quâ*: ita in *Doctrina, Doctor, Diſcipulus, & ipſe docendi atque diſcendi actus*. In hoc iterum termini ſunt: primus *A quo*: principia ſcilicet illa, in quibus docens & diſcens primò conveniunt; ſecundus *Ad quem*, Concluſiones ſcilicet diſcipulo adhuc ignotæ, ſed ad quas eum perducere docens laborem ſibi ſumit: denique *via, quâ* eò perducendus eſt; quam Diſcipulus itidem ignorat, Doctor autem ignorare non debet. Hæc autem niſi & eô tendat, quò debet, & explanata ſit, ut, qui ducitur, ſine offendiculis progredi poſſit, non eô perveniet. Ubicunque ergò dantur, qui *ducere & duci, docere & doceri* velint, nec tamen effectus pro voto ſequatur, ibi certum eſt media certa deeſſe, hoc eſt, viam benè explanatam, & Gradus elevandæ menti rectè aptatos. Quod gradatâ etiam Methodo, Axiomatum aliquot continuatione, ſic demonſtro.

LXXIV. Axioma 1. *Omnis homo naturâ ſcire deſiderat*. Ariſtotelis effa-

tum eſt, quod nemo unquam vocavit in dubium, quia res manifeſta eſt. Certè enim voluptas quædam varia ſciſcitandi & experimentandi ab ipſa mox infantiâ prorumpens, per totam nos vitam comitatur, ut nemo ſit (de hominibus loquor, non de hominum cadaveribus) qui non quotidie aliquid novi audire, videre, guſtare, tractare, & omninò cognoſcere, geſtiat. Ut vel ignaviſſimorum quorumque, & otio torpentium, exemplis conſtat: qui tametſi ad ſeria impetum hunc naturæ non transferunt; nugis tamen quibuſcunque dant operam, quàm ut naturæ ſtimulos aut negare velint, aut diſſimulare valeant.

Ax.2. *Qui ſcire deſiderat, verum ſcire deſiderat.*

Scientia enim niſi vera eſt, ſcientia non eſt, ſed inſcientia & error: quem velle, nemo poteſt. Quo enim fine errare, hoc eſt, decipi, vellet? Horret id potiùs naturâ ſuâ animus, ideoque ſi alicubi erraſſe ſe deprehendit, aut deprehendiſſe putat, illicò ſententiam mutat ſive apertè, ſive occultè. Poſſunt

ſunt enim incidere cauſæ, cur aliquis aliter ſentire videri nolit, non ſentire aliter, errore animadverſo, non poteſt.

Ax. 3. *Qui verum ſcire deſiderat, vero gaudet.*

Proprium hoc eſt cordi humano, & inſeparabile, ut quod deſiderio deſiderat, ejus ſpes ſi offeratur, gaudeat.

Ax. 4. *Qui vero gaudet, verum veniens amplectitur.*

Neq; hoc à natura deſiderii & amoris abeſſe poteſt, quin ſe in rem adamatam, & quam cum gaudio exſpectavit, effundat, ſeque illi, & illam ſibi, jungat.

Ax. 5. *Verum amplexus, verum tenet.*

Proprium id quoque eſt amoris, rem amatam non demittere. Hinc eſt quòd homines opinionum ſuarum (ſeu veræ fuerint, ſeu falſæ, dummodò veritatis fuco illitæ) uſque adeò tenaces ſint, ut mori etiam malint, quàm ſententias abjicere, quas Veritatis nomine inbiberunt.

Ax. 6. *Verum tenens, alios idem tenere optat.*

Natu-

Naturaliſſimum illud quoque eſt,& ab hominis mente inſeparabile, quicquid verè ſentire ſe putat, optare ut idem ſentiant alii, & ſuam quaſi habeant mentem injuriam ſibi reputans, ſi quis aliter ſentire, eoque facto veluti errorem tacitè ſibi exprobrare, velit. Hinc inter diſſidentes opinionibus, (maximè autem circa fidem) animorum illa offenſa & tacitum *odium*: quia ægrè ſibi putat eſſe animus, & inquietus eſt, niſi ad ſecuram Veritatis poſſeſſionem omnes habeat adſtipulantes, neminem contradicentem.

Ax. 7. *Alios verum tenere optans, alios eôdem promovet.*

In omni opinionum diſcrepantia ita fieri videmus, ut alii alios in ſententiam ſuam, quâ poſſunt, trahant: præſertim qui plus aliis intelligere ſe putant, aut zelo magis ardent. Hinc diſputationibus perſtrepunt omnia, dum hic illum, & hunc ille, non ſolùm Hominem homo, ſed ſectam ſecta, in Religione & Philoſophia, lucrari, & in ſuam traducere ſententiam, laborant.

Ax.

Ax. 8. *Ad verum promovens, docendo promovet.*

Alii enim modi ſcientias propagãdi, præter doctrinam, ſpurii ſunt, & ad intentionem inutiles: Ut, ſi quis hoc aut illud ſic vel ſic credere, aut ſentire, ſuadeat, jubeat, mandet, cogat. Verum enim ſcire, aut credere, noſſe eſt: Noſſe autem, opus eſt non Voluntatis, quæ ut aliquid velit ſuaſionibus, mandatis, minis, coactione, flecti ſolet: ſed opus Intellectûs, qui naturâ ſuâ nihil eſt niſi ſpeculum Rerum, recipiens in ſe quidquid appoſitè, & per lumen clarum, obtuleris. Offer igitur docendo, clarè & appoſitè, & capiet.

Ax. 9. *Multi autem vulgò docent, nec tamen quô volunt, promovent.*

Plenus enim mundus eſt Librorum & clamorum, quibus alii aliis ſententias ſuas perſuadere enixè laborant; at quo profectu? Exiguo certè, & tantis contentionibus minimè digno. Nam inter tot conflictantium agmina, ſi fortè unus aliquis convertitur, centum alii loco fixi manent, à ſententiâ dimoveri non patiuntur. Et qui dimoventur,

æquè

æquè facilè à tramite recto in erroneum, vel ab errore uno in alium, transferuntur, atque de Errore in Veritatem. Et quod pejus, controverſiæ non ſolùm non tolluntur, ſed multiplicantur: & nè tolli poſſint, figuntur, obduratis adverſus invicem animis.

Ax. 10. *Vulgo igitur docentium aliquid neceſſariò deeſt.*

LXXV. Ecquæ enim cauſa, quòd ex tam bonis præmiſſis, tam monſtroſi ſequantur eventus? Veritatis omnes eſſe avidos, & eam non invenire tamen? Aut inveniſſe quidem (felici aliquo in curſu) & teneri certò aliis eandem monſtrare non poſſe tamen! Certo certius eſt, imperitè nos agere cum invicem, viamque & modum verum veri propagandi nondum vulgò teneri. Profectò enim principia illa, quæ à bono Deo cuique implantata eſſe, & communiter omnibus ineſſe, jam vidimus, bona ſunt; Velle videre verum; Velle & ſequi ſi videat: Velle item alios habere ejuſdem Veritatis conſortes, & optare id, ejuſque rei causâ labori non parcere, & tamen nihil

hil proficere? Dato fine, & datis qui finem ſeriò velint,& finem tamen non attingi, infallibile indicium eſt, aut mediorum laborari defectu, aut mediorum quæ adſunt, neſciri uſum: uti hîc. Nempe Scala Intellectûs humani vera, per quam ductores & ducti, certò & tutò aſcendere & deſcendere poſſint,deſideratur adhuc. Quod oſtendendum fuit.

LXXVI. *Talis enim Scala ſi exſtructa eſſet, aſcenderet ad omne Rerum faſtigium omnis humana mens:* quod nunc oſtendendum venit, Axiomatum aliquot ſcalâ.

1. *Omnis homo habet Mentem.*

Quippe mente deſtitutus, non Homo eſſet, ſed brutum.

2. *Qui mentem habet,is cogitat.*

Ut enim Oculi videre, Auris audire, Linguæ guſtare, Nervi tangere; ita Mentis cogitare, proprium eſt & eſſentiale.

3. *Qui cogitat, is de re in rem tranſit.*

Omnis enim cogitatio motus quidam mentis eſt, quô ab uno in aliud,

&

& ab eo iterum in aliud quid, tranſvenitur. Unde & Diſcurſus mentis dicitur. Ut enim Oculus, cum multa intueri habet, non ſimul & ſemel multa illa videre poteſt, ſed aliud poſt aliud: ita Mens quicquid cogitat, aliquid, de aliquo, per aliquid, cogitat, aliud poſt aliud.

4. *Qui de re in rem tranſit, gradatim tranſit.*

Cohærent enim cogitationes, ut catena, in qua annulus annulum trahit. Etiam cùm ex improviſo aliquid in mentem venit, remotiſſimum à cogitato priore, ex occaſione tamen aliquâ venit; ſive illa intus ex re aliqua cogitatâ, ſive externè, ex aliquo ſenſibili objecto, veniat. Prorſus ut in Rebus non datur vacuum, aut hiatus; ita nec in Intellectu: & quemadmodum pedibus procedi non poteſt niſi à proximo (ſeu gradu, ſeu greſſu, ſeu veſtigio) in proximum; ita cogitatione in Rem aliquam venire, niſi è re quapiam, impoſſibile.

5. *Qui gradatim tranſit, ire poteſt, quouſque Gradus eunt.*

Ergò

Ergò omnis Homo Mente aſcendere poteſt, quouſque ante ſe Rerum Gradus videt. Quod demonſtrandum fuit.

LXXVII. *Nunc demonſtrandum eſt, poſſe Intellectûs humani Scalam conſtrui.* Dum autem dico *conſtrui*: non intelligo arbitrariam aliquam operam, uti eſſe ſolet, dum ad corporea faſtigia ſcalæ parantur, ſic aut ſic, prout artifici placet: qui Graduum ſitum, fracturam, menſuram, ex ſemetipſo ſumit, aut ex illis, quorum eos uſibus parat. Hæc *Mentalis Scala*, quia *Rerum ſcalæ*, divino artificio contextæ, *imago* tantùm erit, arbitrio noſtro non ſubjacebit. Res ipſæ hîc & ſibi & Intellectui menſuram dabunt. *Errant periculosè, qui ſufficere exiſtimant Res conſiderari quales nobis ſint, non quales in ſe: normam Rebus ſtatuentes Senſus noſtros, non Res ſenſibus.* Contrarium prorſus faciendum eſt, conſtituendæque Res (in quibus ut Palatio ſuo reſidet veritas) norma, tàm ſibi quàm nobis, ſi ex opinionum tumultu & colliſionibus eluctari aliquando volumus ad harmoniam, ut quomodo illa Res in-

intra ſe connectit, ita connectat Mentem noſtram circa Res. Senſus noſtri, phantaſia, Mens ipſa,ſeu Ratio, nihil habent quod afferant aut inferant Rebus. Res autem ſe inferendo ſenſibus, phantaſiæ,menti,efformant imagines ſui veras,perceptæ legitimè; monſtroſas autem,illegitimè. Prorſus ergo nihil tribuendum Senſui aut Menti per ſe,ſed alliganda ſunt arctiſſimè Rebus, nî ſine fine & modo decipi & ludificari volumus.

LXXVIII. *Poſſe igitur Intellectûs humani ſcalam ex Rerum ſcala exſtrui,patet: quia omnia ſecundùm gradus diſpoſita ſunt, tum Vniverſum ipſum, quàm Res unaquaque ſeorſim.* Nam

1. *Quicquid eſt,finitum eſt.*

(De infinito enim, quod unum eſt, Deus,nunc non agitur.)

2. *Quicquid finitum eſt,eſſentia ſua terminos habet.*

3. *Quicquid eſſentia terminos habet, habet in ſe aliquid primum, & aliquid poſtremum,imum & ſummum.*

4. *Vbi autem primum & poſtremum,*

mum, imum & ſummum, ibi etiam prius & poſterius, inferius & ſuperius.

5. *Vbi prius & poſterius, inferius & ſuperius, ibi gradus.*

6. *Vbi autem gradus, ibi diſtinctio; & ubi diſtinctio, ibi claritudo.*

Ergò quicquid eſt, eſſentiæ ſuę gradus diſtinctos & claros habet: qui rectè obſervati, mentem in omnia cujuſque rei prima & ultima, ima & ſumma, deducunt.

LXXIX. *Talem gradationem, quæ ad omnia Mentem deducat, ineſſe confidimus Panſophiæ*, tam in toto Rerum complexu, quàm in qualibet Re ſeorſim. Quantum enim ad totum, habet Panſophia firmam & immobilem baſin, ſeu radium trinum, *Neceſſitatem, Poſſibilitatem, Facilitatem*: quæ ſolidè ponuntur in Præcognitorum libro. Habet & faſtigium ſplendidum, æquè firmum, *Beatitudinem*, ſeu Deſideriorum quietem; quàm in deliciis Mentis illuminatæ in ſe; & emendatione in melius omnium Rerum humanarum, gloriæque Dei propagatione illuſtri, oſtendet liber Panſophiæ ultimus.

mus. Habet autem & medium firmum, faſtigium baſi jungere, graduſque ſolidos recipere, aptum: ex parte quidem Dei, Revelationem veriſſimam, Operibus, Verbis, Dictaminibusque internis (quæ ſunt Notiones innatæ, cujuſvis hominis animo inſculptæ) factam; ex parte verò noſtri, Senſum, Rationem, teſtimoniiſque Dei adhibendam Fidem. Ex quo ter bino veluti ſcapo, parallelè erectis, & ubique connexis, ſolidiſſima illa Rerum ſcala exſtruitur: Scala inquam fracta, *quintuplex,* per diverſas contignationes quinque aſſurgens. Prima enim & *infima Scala Metaphyſica eſt*; quæ mentem per omnia generalia, per ſe nota, elevat, quouſque poteſt. Secunda in ſecunda regione *Naturalium,* divina in Rebus artificia detegit, per omnes Creaturarum gradus. *Tertia Hominis, Creaturæ ſupremæ*, opera contemplari docet, & quouſque Ingenii vis circa Res creatas aſcendat, oſtendit. *Quarta Hominis cum Deo ipſo, Creatore ſuo commercium,* eoque ſalutis & perditionis myſteria, explicat.

Quin-

Quinta inde ad contemplandum ipſum increatum æternitatem ſuam inhabitantem Deum, aſcendit. Unde, quô altius aſcendat, non habet: habet autem quô deſcendat; ad Creatoris, Creaturarum, & Suiipſius, rectum uſum, ut quidquid cuique reſtat vitæ, ſapientibus cogitationibus & actionibus transſigatur, indeque tandem in beatam æternitatem, per mortis januam, tutus & ſecurus, jucunduſque, tranſitus fiat.

LXXX. *Hæc de totius Panſophiæ gradata ſtructura: ut pateat nec aliud ſapientiæ humanæ poni fundamentum, nec alium finem proponi, nec ad finem illum aliis modis veniri, poſſe, quàm Vnde, Quò & Quâ, hic itur.* Particularia omnia eadem gradatâ ſerie diſponi poſſunt; imò debent, quia aliâ non poſſunt, ſi facilè & potenter, hoc eſt, ſcientificè, docere volumus. Certè, quàm delirat, qui in Turris faſtigio conſtitutus aliquem à Terra ad ſe volare, aut è vicinæ turris faſtigio ad ſe tranſvolare, velit, non deductum gradibus: tàm delirat, qui alteri ſuum ſen-

ſum obtrudit, veritate ejus ſenſim non commonſtratâ.

LXXXI. *Vſus ergò gradatæ hujus Methodi erit; facilè docere ignorantes, & potenter dedocere errantes.* Illi nè poſſint non videre veritatis lumen, eoque gaudere; hi nè poſſint non animadvertere errorem ſuum, & ad meliorum veriorumque amorem flecti. Notandum verò eſt, Ignorantes docere, unum quid & ſimplex eſſe: Errantes autem ut doceantur, duplicatam requiri operam. Ignorantes enim quia nec verum, nec falſum ſciunt, capaces ſunt utriuſque, poſſuntque vera tantùm doceri, falſa dedoceri opus non habent: hi quia falſis opinionibus præoccupati ſunt, dedocendi ſunt prius errorem, ut Veritatis reddantur & cupidi & capaces, atque tum demum docendi. Quod, ut jam vidimus, ſine gradatione non expeditur: quia ut ignorans in cognitionis claræ culmen promoveri non poteſt ſine gradibus, jactu aut ſaltu aliquo: ita nec errans de erroris ſui faſtigio deturbari poteſt, ob opinionum tenacitatem,

quæ ubicunque ſemel hæſerunt, hærent pertinaciter, ad mortem uſque, nî prudenter eximantur. Eam quippe venerationem animus humanus (naturæ inſtinctu) Veritati præſtat, ut umbram quoque ejus adoret conſtanter, nec ſe divelli ab ea patiatur, niſi veriora edoctus. Ut ergò veriora doceri poſſit, degradatione primùm quâdam opus eſt, hoc eſt, deductione ad abſurdum, ut ipſe opinator opinionem ſuam cum ſcientiæ principiis, Senſu, Ratione, Fide, pugnare, apertè cognoſcat. Tum enim cenſebitur de Erroris faſtigio in planum deductus, in communem ſcilicet principiorum campum. Unde per meliores & firmiores conſequentias ad meliorum & firmiorum ſententiarum faſtigia duci, non invitus patietur, & eò ſe deductum eſſe, ubi ſibi melius eſſe, quàm antè, ſentiet, gaudebit.

LXXXII. Hoc etiam notandum. Ubi inter docentem & diſcentem (aut potiùs contradicentem) hiatus expleri poteſt uno aliquo medio, non opus eſſe pluribus, demonſtrationemque

uno Syllogiſmo *Apodictico* expediri poſſe, ut à nobis Aphoriſmo LXVII. & LXVIII. factum. Ubi autem diſtantia major eſt, pluribus eget mediis, connectendam eſſe ex illis veluti catenam, Soritem *Apodicticum*, ut fecimus Aphoriſmo LXXI, & LXXIV, & LXXVI, & LXXVIII. Quæ docendi ratio ad oculum Scalam repræſentat, catenatæque conſequentiæ veritas evidentiùs, quàm in Proſyllogiſmorum diſſectis acervis, pateſcit. Ex. gr. in §. LXXI.

(1) Qui pedes habet rectè ſe habentes, ire poteſt.

(2) Qui it, pedes alternis promovet.

(3) Qui pedes alternis promovet, graditur.

(4) Qui graditur, ſurſum tendit, &c.

(5) Qui ſurſum tendit, per gradus aſcendit.

(6) Qui per gradus adſcendit, aſcendere poteſt, quouſque gradus eunt.

(7) Ex-

(7) Ergo; quicunq; pedes habet, adſcendere poteſt, quocunq; gradus eunt.

LXXXIII. *Sorites hic ut verè ſit Apodicticus, Veritatiſque catena firma, obſervanda hæc ſunt.* (1) Quemadmodum in Catena annulus annulum excipit; ita hîc propoſitiones cohærent, prædicato propoſitionis antecedentis ſemper in ſubjectum ſequentis aſſumto. (2) Quemadmodum in Catena annulus annulo impactus eſt eſſentialiter, ut indivulsè cohæreat: ita hîc quodlibet prædicatum, eſſentiale aliquid de ſuo ſubjecto enunciet, ut ſine exceptione verum ſit. (3) Quemadmodum in catena annulus annulo cõnectitur, donec longitudinis menſura expleta fuerit: ita in Sorite gradus gradui nectatur; donec ad illum qui controverſiæ finem imponat, ventum fuerit. (4) Tandem ut in Catena annulus quiſque in ſe ſeorſum ſolidatur, nè diſſolvi poſſit) aliàs dirupto vel uno, catena rumpitur): ita ſingulis gradibus

Soritis immorandum eſt (quando per hanc ſcalam ducitur aliquis) eouſque, donec de Veritate ejus conſtet, dubiique nihil quidquam ſuperſit. Tum demum pergendum.

LXXXIV. Verùm ſatis. Imponendus eſt deliberationibus & delineationibus noſtris finis, ut ad Opus ipſum veniamus potiùs. Quidquid enim loquimur, opponi ſemper poterit illud: *Vbi factis opus eſt, verba non ſufficiunt.* Nos verò non verba dare, ſed opus, promittimus: tametſi non eâ quam in Idea concipimus, perfectione. Id quod non unius hominis eſſe, nec unius Ævi, toties proteſtamur, prudenteſque Rerum æſtimatores per ſe intelligunt. *Nihil Rerum ipſa Natura voluit magnum effici citò, propoſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quæ naſcendi hanc quoque fecit legem, ut majora animalia diutius viſceribus parẽtum contineantur.* Quidnî igitur tantus hic (non ingenii noſtri, ſed ſeculi) partus, & tẽpore juſto & obſtetricatoribus benè multis, fidiſque egeat? Templum Salomonis, non ab uno perfe-

ctum

ctum fuit artifice: contulerunt ibi operas ſuas Fabri lignarii, Ærarii, Lapicidæ, Aurifabri, Gemmarii, Sculptores, Pictores. Pariter hîc operas ſuas habent Philoſophi, Theologi, Politici, Medici & Ingenioſi quicunque. Accurrant igitur, & communem Theſaurum communibus opibus exſtruere, communique curâ in majus augere (commune enim negotium agitur) ne detrectent.

LXXXV. *Nec præſentes modò, ſed & qui poſt nos erunt, ad idem hoc eodem zelo agendum, invitantur.* Perfectio enim Operis hujus, quanquam perpetuo progreſſu ſemper major, ſumma tamen in hac vita nunquam ſperatur. Quia ut numerus principium quidem ſui habeat, unitatem, finem tamen in infinitum etiam procedens non invenit: ita Sapientia Dei communicata nobis, à parvis principiis exſurgit, & per infinita ſe diffundens, nunquam exhauriri poterit tota. Quod Syracides obſervans dixit: *Non agnovit primus perfectè illam, ſimiliterque ultimus non perveſtigabit illam* (cap. 24. 31.)

Habebunt itaque induſtriæ animæ quod uſque & uſque ſuppleant, emendent, perficiant, perpoliantque, cum nominis ſui ad poſteritatem laude, Rerum autem ipſarum detrimento nullo. Veritas enim ſolida res eſt, quò magis libratur & vibratur, eò purius niteſcit. Nec impoſturis locus eſt, ubi characterum, numerorum, menſurarum, trutinarum, lydiorum lapidum, omnia plena ſunt: nec admittitur quidquam niſi quod ſeverum plenumque undique ſuſtinuerit examen.

LXXXVI. Tu autem ô Deus noſter, *qui inveniſti omnem viam Scientiæ, & dediſti eam Iacob filio tuo, & Iſrael dilecto tuo* (B. 3. 37.) *miſerere noſtrî, & vias Tuas notas fac nobis, ſemitas Tuas doce nos. Fac ut incedamus per Veritatem Tuam, & doce nos: nam Tu es Deus ſalutis noſtræ: Te exſpectamus.* (*Pſal.* 25. 4, 5.)

DE SCENOGRAPHIA OPERIS PANSOPHICI ADMONITIO.

POſt exhibitam à nobis Templi Panſophici *Ichnographicam & Orthographicam delineationem,* facilè prævideo fore, ut nonnemo dicat, quod Lucilio ſuo Seneca: *Non deſidero à te plus quàm moliebaris. Fundamenta tua multum loci occupaverunt. Tantum effice, quantum conatus es: & illa quæ tecum in animo tuliſti, tracta* (Epiſt. 31.) Quibus ſi Ludovici Vivis reſpondero verbis: *Non poſſunt multa ſimul proferri & expoliri: non poteſt aliquid diu quæſitum AB EODEM INVENIRI & EXCOLI: non ſufficit tot rebus vita, non humani ingenii vis brevis & infirma.* Et mox: *Ignoſco quòd homo unus* (de Ariſtotele loquitur) *non omnia tam multa, tam varia, tam difficilia, quæ eruerat, coxerit ac repurgârit: non poteſt obire unus, quæ vix centum præſtiterint.* (Lib. 1. de cauſis corrupt. Art.) metuo ut id ſatisfaciat iis, qui quomodocunque

 pro-

promiſſa in debiti rationem trahunt. Verulamius certè à quibuſdam (etiam qui ſibi judicioſi videntur) eô vapulat, quòd Artium Inſtaurationem magnam promiſiſſet, nec præſtitiſſet: quam tamen non à ſe uno pollicitus fuit, nec id præſumſit unquam. Toties enim totieſque proteſtatur, ſe Organon Philoſophiæ reſtaurandæ dare: ipſam reſtitutam Philoſophiam unius hominis aut ævi ingenio, aut induſtriâ, dari non poſſe; ſed ſociatâ multorum, & ſuccenturiatâ, quamdiu opus, operâ. Quem in modum nos quoque toties proteſtamur, conſummatum aliquid in eo, quod agendum monemus, à nobis exſpectandum non eſſe: occaſionem ſolummodò, & rudimenta quædam tanti Operis: eò quod rebus deſideratis initium, qualequale, dare aliquando præſtet, quàm in idea videre aliquid, & aggredi nunquam. Apparet tamen hominum vulgus imitatores eſſe, paratiſque veſci, & acquiſitis acquieſcere, malle, quàm latentem adhuc & fugientem Rerum, tam ordinem quàm veritatem, indagare ac venari.

nati. Nempe non ſatis eſt illis monſtraſſe viam: Currum poſcunt, & bene unctos Axes, & præjunctos Equos, & peritum Aurigam; & quævis alia requiſita, ut expedita ſit, & ſecura, & amœna profectio. Ergò nobis quoque neceſſitatem quandam imponi videmus, ut ratione Panſophiæ non conſilia ſolùm demus, ſed & reipsâ præſtemus, quantum quidem dederit, qui dat omnia. Saltem delineationem ultimam, id eſt particularem, Operis totius, à principio ad finem: qualem jam in Diatypoſεως hujus præfatione prima (ſub Scenographiæ ſeu Proplaſmatis titulo) promiſiſſe videmur. Darem eam, imò dediſſem jam, niſi varia obſtitiſſent. Et primò quidem faſtidium tot præludiorum, quibus illudere jam velle videri poteramus Mundo: rem itaque potiùs agendam eſſe, quàm de agendo deliberandum, & Viri aliquot boni monebant, & ipſa conſcientia noſtra. Mox inciderunt (quod ſecundam attulit his ſtudiis remoram) amici illius noſtri (qui fervido quodam & inuſitato publici boni, quâ quâ da-

tur, promovendi deſiderio, nos cum noſtris conatibus in publicum protraxerat) de aliquot ſelectioribus ingeniis nobis conciliandis, & ad ſociales in his operas perſuadendis, cogitationes, ſollicitationeſque & pollicitationes: tum & de congreſſu alicubi conſilia, ad recognoſcendum plenius fundamenta, & inter nos diſtribuendum penſa. His conſultationibus aliquot abierunt anni: me interea loco meo vocationis ordinariæ muniis vacante, dumque ab his liberationem, & promiſſa illa otia & collaboratores, exſpecto, nihil magnoperè in illis agente. Inſequuta eſt quoſdam illos videndi, & conſilia determinandi, deſiderio ſuſcepto peregrinatio, quæ *ſeſqui*ennium abſtulit: nullo alio fructu, niſi quod plures acceſſerunt ſtimuli, uniuſque Mæcenatis, cujus ſpiritum ad fovenda hæc ſtudia excitavit Dominus, laudatiſſimus favor. Quo fretus, dum me ad quietis locum & labores recipio, obveniunt occaſiones Philologica, pridem intermiſſa, reaſſumendi ſtudia: (cujus rei propediem in publico

co rationes reddam,) quibus mihi totus ferè jam tranſactus eſt annus, necdum apparuit finis. His ego demum peractis, ad realia redire cogito: ſed jam timidior quàm dudum. Tum propter Operis magnitudinem, quam melius æſtimare didici: tum propter Collaboratorum abſentiam, quibus deſtituor. Julius Pollux olim tardiorem Operis ſui Onomaſtici elaborationem, Collaboratorum etiam defectu excuſabat: ſed quos adhibere ipſemet non curavit. Ita enim ad *Imperatorem Commodum*, præfatione Libri ſeptimi, ſcribit: *Collaboratorem huic Operi adhibere potui neminem; nullum enim cui revera confidam habeo, & hîc meum ſemper adeſſe oportet judicium.* Ego adhiberem lubens, ſi adhiberi ſe vellent, qui poſſent. Sed prætendunt, nolle turbare lineas; abſolvendam eſſe à nobis, uti cœpta eſt, ſtructuram: illi poſt explendæ ſuam non defuturam induſtriam. Expreſsè etiam nuper amicorum primarius: *Ut duæ matres* (ſcribit) *unum infantem; ita duæ mentes unum panharmonicum opus, ſimul*

eniti

eniti nequeunt. At excluſos fatus mutua cenſura refinget, &c. Non abſque ratione id dici, agnoſco: cauſam tamen veram) quam non ſuſpicor, ſed ſcio; fatente ſic eam uno & altero jam apertè) publicè non ignorari, publicè forſan intererit. *Portum certæ ſuæ ſtationis deſerere, & ſe incerto exponere mari & ventis, non prudentis eſſe exiſtimatur.* Nempe Studia hæc nihil dum in publico repererunt, præter applauſum, quô nemo ſaginatur. In publico dico; quia in infeliciſſima incidimus tempora, quæ bellis occupant Reges & Regna, & quem non? Privati autem alicujus Mæcenatis, licèt muniſicentiſſimi, non ſufficere putant authoritatem, cui plures velut immotæ rupi innitantur. Hominem eſſe ajunt unum, & mortalem, & mutabilem, & cui forſan heroica cæpta non ex conatu, ſed eventu duntaxat, æſtimanda forent: & qui, ſi res non ex ſpe, aut ad multorum vota, ſuccederet, ludibrio ſe habitum interpretari poſſet; & quæ ſimilia ſuſurrari audio. Hæc ergò mihi occaſionem dant publicè monendi,

quæ illuſtriſſimus Angliæ Cancellarius, *D. Verulamius* jam tempore ſuo Regem ſuum monuit. Malo enim ipſius proponere Verbis, quæ jam cogito, deliberationique illorum, qui Dei loco humanis præſident rebus, proponenda puto. Ita verò ille (præfatione Libri II. de Augmentis Scientiarum.) *Tuæ Majeſtati uſquequaque convenit, non modò Tuum, (quod facis) ſeculum irradiare; verùm etiam ad illa curas Tuas extendere, quæ memoria omnis alat, quæque ipſa intueatur æternitas. Inter ea autem (niſi ſtudium meum erga Literas me fallit) nil dignius eſt, aut nobilius, quàm ſi dotetur Orbis terrarum Augmentis Scientiarum ſolidis & fructuoſis, &c.* Tum mox: *Ponatur illud, (quod quivis concedat) opera quæque maxima & difficilima, vel præmiorum amplitudine, vel conſiliorum prudentiâ & ſanitate, vel laborum conjunctione, ſuperari. Quorum primum conatum exſtimulat; ſecundum ambages & errores tollit; tertium mortalium fragilitati ſuccurrit.* Licèt autem ſapientiſſimus hic Vir addat:

Inter

Inter hæc tria meritò primas tenet Conſilii prudentia & ſanitas, hoc eſt, Monſtratio & Delineatio Viæ rectæ & proclivis, ad rem, quæ proponitur, peragendam: Claudus enim (quod dici ſolet) in via, antevertit Curſorem extra viam. [Quibus utique verbis Delineationes noſtræ Operis Panſophici, ſi probæ ſunt, approbantur.]: paulò tamen poſt ſociales labores, & præmia liberalia publicâ authoritate conſtitui optat illis, qui circa Univerſalia Sapientiæ fundamenta, & radices ipſas, occupantur; his verbis. *Inter tot Europæ Collegia, præclariſſimè fundata, omnia illa certis Profeſſionibus deſtinata eſſe demiror; nulla liberis atque VNIVERSALIBVS Artium & Scientiarum STVDIIS dedicata. Nam ſi quis judicat,* Doctrinam *omnem referendam eſſe ad Vſum & Actionem, rectè ſapit: veruntamen facile eſt iſto modo prolabi in errorem illum, quem fabula antiqua perſtringit: in qua cætera Corporis membra litem Ventriculo intenderunt, quòd neque motum præberet, ut Artus; neque ſenſum, ut Caput; quamvis interea alimen-*

mentum coctum atque confectum Ventriculus ille in reliquum Corpus divideret. Planè eodem modo qui in Contemplationibus univerſalibus poſitum ſtudium inane atque ignavum arbitratur, non animadvertit ſingulis Profeſſionibus, & Artibus, exinde ſuccum & robur ſuppeditari. Atque certè perſuaſum habeo, hanc ipſam haud minimam cauſam fuiſſe, cur felicior Doctrinæ progreſſus hucuſque retardatus ſit: quòd opera fundamentalibus hiſce Scientiis novata ſit tantùm in tranſitu, neque hauſtus pleniores inde epoti. Nam ſi Arborem ſolitô fructuoſiorem fieri cupias, de Ramis medicandis fruſtra cogitaveris: Terra ipſa circa Radicem ſubigenda, & gleba lætior admovenda: aut nihil egeris, &c. Poſtea: *Intereſt inprimis, ut tales (Indagatores Rerum) ex optimis inſtructiſſimiſque eligantur: utpote quorum opera non in uſum tranſitorium, ſed ad ſufficiendam ſobolem Scientiæ in ſecula, adhibeatur. Id fieri nequit, niſi præmia & conditiones tales conſtituantur; quibus eminentiſſimus quiſque in ea arte, planè contentus eſſe poſſit:*

poſſit: ut ei demum grave non ſit in eodem munere immori, neque practicam cogitet, &c. Aliter, ſi Patribus Scientiarum præmia non conſtituantur ſatis ampla & luculenta, eveniet illud: Et Patrum invalidi referunt jejunia Nati. Interjectis quibuſdam addit: *Non quidem omninò ceſſavit munificentia hominum: quippe videmus non Libros ſolùm (Bibliothecas) ſed Sphæras, Globos, Aſtrolabia, Mappas, & alia ſimilia, ut adminicula quædam Aſtronomiæ, & Coſmographiæ, comparari, & ſtudio præberi. Videmus etiam loca nonnulla, Medicinæ ſtudio dicata, Hortos habere pro Simplicium cujuſque generis inſpectione, & notitiâ: nec uſu mortuorum Corporum ad obſervationes Anatomicas deſtitui. Cæterùm* hæc ad pauca ſpectant. *In genere, pro certo habeatur, magnos in Naturæ abditis eruendis progreſſus vix fieri poſſe, niſi ad experimenta, ſive Vulcani, ſive Dædali ſumtus abundè ſuppeditentur. Ideoque ſicut Principum Secretariis, & Emiſſariis, conceditur exhibere rationes expenſarum pro diligentiis ſuis, in explorando*

&

& eruendo res novas, & arcana civilia: ſimiliter & Exploratoribus ac ſpeculatoribus Naturæ, ſatisfaciendum de expenſis ſuis. Aliâs de quamplurimis ſcitu digniſſimis nunquam fiemus certiores. Si enim Alexander magnam pecuniæ vim ſuppeditavit Ariſtoteli, quâ conduceret Venatores, Aucupes, Piſcatores, & alios, quô inſtructior accederet ad conſcribendam Hiſtoriam Animalium: certè majus quiddam debetur iis, qui non in ſaltibus Naturæ pererrant, ſed in Labyrinthis Artium viam ſibi (& aliis) aperiunt. Hactenus ille: cujus verba ſigillatim expendenda commendo illis, quos Deus eminere, & velut in ſpecula conſtitutos publico invigilare bono, juſſit.

Me quod attinet, faciam lubens, quicquid per meam tenuitatem fieri volet Deus: quamque primum ad hęc ſtudia redire dabitur, Sceleton totius Panſophiæ adornabo, publicæque cenſuræ exponam. Sive ut ſeries illa maneat, ſi meliora reperta non fuerint: ſive ut occaſio ſit pertinaciter etiam meliora quærendi: donec optimum, quod

quod eſt ipſa irrefragabilis Ordinis, & Veritatis vis & lux, repertum fuerit. Certè, ut noſtra hæc teſtimonio ſint, *omnia eſſe poſſibilia & præſtabilia cenſenda,* (verbis Magni Verulamii claudere mihi liceat, quibus ille præfatam ſuam claudit Præfationem) *quæcunque ab aliquibus perfici poſſint, licèt non à quibuſvis; Et quæ à multis conjunctim, licèt non ab uno; Et quæ in ſucceſſione ſeculorum, licèt non eodem ævo; Et denique quæ publicâ curâ & ſumtu, licèt non opibus & induſtriâ ſingulorum. Si quis tamen ſit, qui malit Salomonis illud uſurpare, Dicit piger, Leo eſt in via; quàm illud Virgilii, Poſſunt, quia poſſe videntur; ſatis mihi erit, ſi labores mei, inter vota tantùm ſive optata melioris notæ habeantur. Sicut enim haud omninò rei imperitum eſſe oportet, qui quæſtionem appoſitè inſtituat; ita nec ſenſus inops videatur, qui haudquaquam abſurda optaverit.*

Vale, fave, & pro nobis Deum ora, humaniſſime Lector. Dabam in ſeceſſu meo, 10. Septembr. An. 1643.

FINIS.

B. U. G.
Syst-Catal
1933